5

NUMINE T. O. M. BENEDICENTE

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA

DE

VARIOLIS ET MORBILLIS,

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. PHILIPPO WILHELMO,

PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRANDENBURGICO, AC DUCATUS MAGDEB. GUBERNATORE &c. &c.

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

GRATIOSO AMPLISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,

PRÆSIDE

Viro Nobiliſſimo Excellentiſſimo atque Experientiſſimo

DN. GEORGIO ERNESTO STAHL,

MED. D. EJUSD. ET RER. NATUR. PROFES. PUBL. ORDIN. ACAD. NAT. CUR. COLLEG. LONG. DIGN. p. t. FACULT. MEDIC. DECANO SPECTATISSIMO,

DN. PATRONO, AC PROMOTORE SUO OMNI OBSERvantiæ cultû ætatem colendo.

PRO GRADU DOCTORALI,

Summis in Utraque MEDICINA HONORIBUS, Immunitatibus Inſignibus, & Privilegiis.

Majorum more ſolenni, legitimè & ritè conſequendis,

IN AUDITORIO MAJORI

d. Octobr. Ao. MDCCIX. horis ante & pomeridianis

Publico ac placido Eruditorum examini ſubjicit.

NATHANAEL BERENDT,

Boruſſo-Dantiſc.

DEO
ET
PROXIMO
SACRUM.

Q. D. B. V.

PROOEMIUM.

SI usquam nævum mentis humanæ, in inſpectandis, atque perſpiciendis rerum inter quas verſamur veris conſtitutionibus, animadvertere datur, eſt illud re vera propemodum luculentisſimè in familiarius obviis, & modo non quotidianis rebus; ſiquidem vel has planè inſuper habet, & tanquam per contemtum negligit, vel ſimpliciorem earundem habitum ita averſatur, ut jam verborum, jam conceptuum, ſpecioſis circuitibus, omnia potius alia, quam rerum veritatem ſectetur, adeoque etiam ſæpe numero nullo optabili exitu, circa talium ſcientiam atque verum intellectum potiatur: Aut ad ſummum circa illas conſiderationes laborem ſuum verè prodigat, quæ vel non admittant plenam explanationem, vel nullũ tandem ſolidum uſum præbeant aut ſubminiſtrent. Non equidem etiam nudas conſiderationes, & ut ſimpliciter ſpeculativa habetur, ſcientiam, damnamus; nempe de illis rebus, quæ non ad eximium uſum transferri valent: At

verò in talibus, quæ non ſolum uſui, ſed paſſim etiam neceſſitati, imò utrique huic non ſimplici tantum, ſed planè multiplici, inſerviunt, aut ſubjacent, ita in ſola ſcientia ſubſiſtere velle, aut res ad hanc tantum pertinentes, anxie perſequi, omiſſis interim, aut amiſſis, veris imò inſignibus, uſibus, ne quid odioſius ex veritate proferamus, certè otioſum ad minimum eſt. In Medicina noſtra, arte tota, non ad uſum ſolum, ſed longè nobiliſſimum, deſtinata, vitæ, & ſine qua hæc etiam otioſa eſt & ſupervacua propemodum, ſanitatis conſervationem atque vindicationem, tota facta atque nata, ut res ad nudam ſcientiam pertinentes, nihil niſi ſupervacuæ imò alienæ, cenſere merentur, ita ſi his quidem, quin multiplex etiam paſſim, opera adhibeatur, uſus interim, cum quilibet verus, tum imprimis neceſſarius, non comprehendatur, non feremus, ſed cuique cordato arbitro deferemus judicium, quid de hujusmodi induſtria ſentiendum veniat. Quantum autem optandum eſſet, ut aut nullæ, aut raræ hujus generis evagationes atque aberrationes committerentur, ſed veremur ut voti compotes fieri obtingat. Abſit autem ut altius ordiamur, aut prolixius oremus hanc cauſam, ſuffecerit in uno aliquo ſpecimine contemplari, quantum ibi & alienis impendatur operæ, & veris æque, ac utilibus, imo neceſſariis partim ſincerè & ſine fuco aſſumendis, partim pro dignitate ſua vera æſtimandis, partim ad legitimum uſum transferendis tendat, paſſim, imo ferè ubique adhibeatur faſtidii, & ſi res ſuo nomine candidè ſalutari debeat, neglectus. Coſtituent hoc Specimen VARIOLÆ & MORBILLI, quod inaugurali Diſputatione propterea ventilavimus, ut etiam occaſio hinc patere poſſit, ſi cui plus

aut

aut minus vero proferre videamur, conferre nobiscum ſuper ea re dubia ſua, & noſtris ſatisfacere poſſit. Neque tamen ſolum, quæ minus utilia circà hanc rem vulgò fiunt, tanquam arguere ſolum, noſtra fert intentio; ſed laudabimus etiam, quæ utiliter in hoc genere adhuc fiunt: Imò in id enitemur, ut qui etiam uſus, imò quanti hic illic, adhuc ſumi poſſint, ibi, ubi tanquam neglecti jacent, demonſtremus & in lucem producamus.

Fons autem & Origo veritatis & ſalutis, exaudiat preces noſtras, ut mentem noſtram in veritatis recta via ducat, & quem animo deſignamus, uſum verum atque ſolidum, non nobis ſolum, ſed toti humano generi, etiam hac in parte, firmum & perennem, largiatur.

§. I.

DE *Variolarum* nomine, non placet prolixè disquirere, aut diverſitatem inſignem earum, ſub qualibet collatione cum *varis* faciei arguere; cum liberum cuique meritò relinquamus, à quacunque tandem ſimilitudine, nomen aliquod promere: Quando autem hoc, ſive multis mox probatur, ſive prorſus uſu publico receptum eſt, abſurdum fuerit de ejus origine aut dignitate multum argutari. Idem de *Morbillis* ſentiendum, quorum ut plane nulla grammatica ratio diluceſcit, ita nota ſignificatio, & receptus vocis uſus, omnem reliquam difficultatem in ſolidum tollit. Idem intelligendum putamus, de vernaculis harum rerum appellationibus, ubi, Pocken/ ab inæqualitate quaſi gibba; Durchſchlechten/ ſuperiorum Germanorum, ut rem de *variolis* nusquam exhauriunt: Röthein/ Flecken/ Maſern/ autem, maculæ nempè, & rubicundæ quidem, aliquantò plus de externo adſpectu exprimunt: In utrisque ta-

tamen ſufficit, quod *uſu* ſatis nota hæc nomina, hoc ipſo etiam abundè valeant, ad revocandum in memoriam illud, quod per ipſa communi conſenſu denotatur.

§. II.

Vix autem multò majoris dignitatis nobis videtur habenda, altera illa curioſitas; *an uterque hic morbus*, jam ipſi *Hippocrati* aut *Galeno* notus fuerit? Quamvis enim non planè nullum operæ pretium futurum videatur, ſi hoc ipſo ſimul diſpaleſcat, quod morbus hic uterque, recentius aliquod, novum, genus corruptelæ ſanitatis & vitæ periculi, haberi mereatur. Vix tamen certè, ſi vel maximè hoc ita erueretur, ullus inde inſignis uſus alius, præter ſolam hiſtoriam, ſperari poſſet, tàm parum certè, quàm de *petechiis*, vera *lue venerea*, . &c. ex hoc reſpectu, quod omni modo *novæ* quædam affectuum ſpecies, ad minimum in *Europæis* provinciis, exſtitiſſe, intelligi poſſint.

§. III.

Unde quidem, citra prolixitatem, commonuiſſe ſuffecerit, quod mentio illa apud *Hippocratem*, *papularum*, inter morbos *teneræ ætati* familiariorum, adeo parum ſatisfacere videatur, huic ſcopo, explicationi nempe pro *variolis* & *morbillis*, ut propemodum fidem ſuperet, ſive ipſum ita obiter, & fugitivo quaſi nomine tantum, talium affectuum mentionem injicere ſatis duxiſſe: vel *Galenum*, *Celſum*, quin & *minores*, ut vocant, *Græcos*, cum reliquorum morborum etiam leviorum, tam diſcrimina mutua, quam proprium genium, cum curâ paſſim deſcripſiſſent, tales affectus ita tacitè prætermittere voluiſſe, qui vix non ab omnibus aliis morbis, tum pluribus, tum imprimis *quatuor* illis & evidentiſſimis & ponderoſiſſimis, rationibus, atque circumſtantiis, diſſident, quod (1. *omnibus* hominibus *certò* expectandi ad minimum, ſeu metuendi exiſtant. (2. quod, ſi jam *adultioribus* annis demum eveniant, longe impeditius ſuccedant, & non majus ſolùm, ſed omninò facillimè *capi-*

tale,

tale, *periculum* faceſſant. (3. quod etiam in omni ætate, & ſatis, *facilè*, *turbidum* quiddam in ſucceſſu ſui admittant; & hoc ipſum, ingenti, imò funeſto, *periculo* proximum. (4. quod *ſemel* illo, imprimis teneris adhuc annis, rectè, & ita ſatis copiosè, perfuncti, per reliquam vitam, nullam ejus repetitam invaſionem metuere habeant, ſed ab illo tanquam poſitivâ certitudine poſthac ſecuri ſint. Quibus fortè adhuc accenſere mereretur ſummè familiaris ille *variolarum* effectus, ut *veſtigia* ulceroſæ *eroſionis*, ſubinde deformia, neque tam aliis corporis locis, quam faciei, aut denique manibus, relinquant.

§. IV.

Certè, uti tales Viros, tam conſpicua *momenta*, morborum adeò *familiarium*, & velût *uniuerſalium*, temerè ſilentio præterire voluiſſe, ab omni quaſi fide alienum apparet; ita contra, multò probabilius videtur, ignotum potius illis temporibus adhuc fuiſſe hunc morbum. Sicut etiam revera ſuſpicioni non deeſſe putamus aliquem locum, quod, ſicuti de *Venereo* malo, ex *America* in Europam exportato, ante illa tempora incognito, (ſiquidem fruſtra hic eſt *B. Ammannus* in Med. Crit. *lepram* cum hac *lue* ſimpliciter convertere laborans) res ſatis certa eſt; ita *variolæ* etiam & *morbilli*, ex *Africâ* intimiore, in Europam exportati ſint: Utpote qua in terrarum parte, uterque affectus, tam familiaris eſſe memoratur, ut etiam quam maximè *adultis* non ſolum paſſim eveniat, ſed etiam, naſcente ex ipſa hanc narratione non injuſta ſuſpicione, uni eidemque homini, etiam fortè ſæpius per vitam. Ubi ſimul breviter memorari meretur, illa differentia, quod *morbilli*, qui *candidis* corporibus *rubicundæ* eveniunt, in *nigrâ* Afrorum cute, *pallore* ad albedinem propiore ſeſe ſiſtant: Expansâ nempe tenerius, tam cutis quam cuticulæ textura, ad illam circiter conſiſtentiam, quæ teneris adhuc *infantibus*, *naſcentibus*, nempe,

pe, *Afris*, familiaris eſt, ut non *nigri*, ſed valde *ruffo* ſolum corpore naſcantur, &c.

§. V.

Quemadmodum autem tota hæc quæſtio, curioſior propemodum eſt, quam utilior, ita nullum certè majorem uſum habere poſſet, niſi illum unum, quod antiquior horum affectuum notitia, veræ inquam indolis illorum perſpecti mores, ſine dubio peperiſſent etiam in hoc genere annotationem, ad poſteritatem perventuram, qualiscunque *Medici conſilii*, ſeu *regiminis*, aut *auxilii*, ſeu *medicationis*, ad hos morbos commendandi. Quorum cum nihil apud veteres occurrat, quod magis propriè his duobus affectibus quadret aut reſpondeat, tantò certior etiam hinc videtur negativa ſententia, circa hanc quæſtionem.

§. VI.

Conſultius itaque omninò fuerit, potius præſentis rei *hiſtoriam* ſimpliciter commemorare, prout hodie affectus hic ſeſe gerunt atque ſiſtunt. Ex his *prima* eſt illa circumſtantia, quod *infantibus* maximè, & *pueris*, familiariter eveniant: non æque *adultis*. Revera tamen, ſimpliciſſimè rem æſtimando, videtur hic ſubeſſe cauſa minime difficilis agnitu, nempe, quod, cum plerique homines in *infantia* morbis his perfuncti ſint, *adultis* poſthac ille non amplius eveniat. Quandoquidem quotquot hominibus per infantiam non obtigit hic morbus, illi per totam reliquam vitam ab eodem minimè immunes aut ſecuri vivere poſſunt, quin tam facilè illos, etiam *adultos* corripiat, quam infantes corripit.

§. VII.

Illa autem potior certè ſcitu eſt circumſtantia, quod plerisque hominibus, non niſi *ſemel*, per totam vitam accidant, hi morbi; paucis *bis*; pauciſſimis *ter*: Ultra hunc autem numerum, nos certè fando non perceperimus, in *Europa* noſtra, aſcendiſſe morbi hujus proventum. Ubi tamen

ſimul

ſimul ſimpliciter contemni, quantum ad *hiſtoriam*, non omninò debet, ſolennis illa traditio popularis, quod, quibuscunque morbo tali correptis, in *pedum ſoleis* non appareant ullæ puſtulæ, illi expoſiti ſint periculo, *iterum*, imò *tertiò*, hos experiundi.

§. VIII.

Jam porrò, ad veram affectuum horum hiſtoriam quàm maximè facit, quod hi affectus, *in ſe* ipſis conſiderati, nequaquam ſint maximi *periculi*, aut *ancipitis* re verà eventus, compotes: ſed potius ab *adventitiis*, aut individualibus, concurrentibus, imò *ſupervenientibus*, cauſis, impedientibus, aut obturbantibus, legitimum eorum ſucceſſum, demum ita exaſperentur, & in deterius, imò in transverſum, convertantur atque diripiantur, ut inde malè cedant, imò funeſtum exitum ſortiantur. Quod ex eo manifeſtiſſimum evadit, ſi tot *myriadas* hominum, qui vivunt, affectus hos omninò experti, conferamus ad eos, qui his, *variolis* inquam & *morbillis*, moriuntur. De quâ re prolixius, pro merito certè ejus, adhuc infrà verba aliqua faciemus.

§. IX.

Porrò, ad hiſtoriam indolis horum affectuum omninò pertinet, quod *ordinata* habeant, atque *ſtata* planè, tempora, procedendi, atque ſuccedendi. Ita, ut inter *tertium* atque *quartum* diem, ab eo initio, quo incommodè habere cœpit patiens, in lucem prodeant, & conſpectui ſeſe offerant. Et hoc quidem, quod præcipuum eſt conſideratu, tam in illis, in quibus etiam exiguo numero emergunt, quam ubi largo prorſus, imò ubere proventu, effloreſcunt. Ut nempè ita omninò exulare debeat opinio, quaſi vel paucitas *materiæ*, ſegnem, & conſequenter tardam, eruptionem, inferre poſſit aut debeat: Aut copia materiæ, præcipitem atque feſtinatam expulſionem aut effluxum, inferre aut poſt ſeſe trahere. Quandoquidem, uti dictum, tam *exigua*, quam *ingens*, copia materiæ, planè *pares*, *ſtatos* atque determina-

tos circuitus ſervat, quantum ad excretionem, ejusque tempora genuina ſpectat.

§. X.

Prætereà, maximoperè etiam notandum venit, quod etiam in ſatis notabili *copiâ* materiæ, adeoque ſatis *largâ* efflorefcentia exanthematum, innumeris vicibus eveniat, tàm placida & tranquilla emotio ex univerſo corpore, (modò *accidentales*, & planè *extraneæ*, circumſtantiæ abſint,) ut nullum ſolidum diſcrimen, quàm ſi longè paucior ſubſit materia, & maximè parcior exitus, pariter evenire ſoleat. Quandoquidem, ex adverſo, etiam re verà in ſatis paucis hujusmodi exanthematibus, ſi allegatæ *externæ* & *extraneæ* cauſæ, perperam interveniant, tàm incertus & funeſtus inde pendet exitus, quam in quantumlibet ubere atque copioſo proventu.

§. XI.

Eſt autem tempus hujusmodi *eruptionis*, à tertio ad quartum die, usque ad *ſeptimum*, regulariter. A ſeptimo ad *undecimum*, *maturationis* tempus. Inde usque ad decimum quartum, *maturæ* corruptelæ *evacuandæ*, ſeu penitus excutiendæ extra totum corpus, periodus.

§. XII.

Tempus ipſum à plena *eruptione*, ad *maturitatem* ſubſequentem, habet comitem, *inflammatoriam* inflationem, ſeu intumeſcentiam ſuperficiei corporis: inſeparabilem utique à *largiore* imprimis hujusmodi ſuppuratione. Unde etiam, ubi, ſub qualitercunque largo proventu efflorefcentiæ, hæc circumſtantia emanet, nihil ibi ſecurum, atque vero affectus genio conſonum, ſed omnia difficiliora atque eximio periculo propiora, exſpectanda.

§. XIII.

Sicut autem dicta *eruptio*, ſibi quàm maximè relicta, *placidè* atque moderatè ſuccedit; ita, ubi præcipiti impetu, erumpendi ſtimulum acquirit, ut feſtinatâ proſecutione, *ſimul*

mul & *ſemel*, imprimis autem antè uſitatam *periodum*, tertii ad quartum diei, eruptio hæc procedit: Aut immodica *copiâ* ita exundans, ulcerationem valdè copioſam ita poſt ſe ſe trahit, cum *inflammatoria* illa inflatione nimia: Cedit utroque modo negotium infeliciter. Quandoquidem copiâ atque tempore, minùs temperanter extruſa exanthemata, velut ordinariè non ſubſiſtunt, ſeu *perſiſtunt* circà ſuperficiem corporis ad debitam usque maturationem: ſed identidem ad interiora *relabendo*, funeſtum exitum communiſſimè ſortiuntur. Nimis impetuoſè atque copioſè autem expulſa exanthemata, *variolacea* imprimis, tantum deinde laborem atque diſcrimen, in *ſuppuratoria* illa inflammatione ſubeunt, ut iterum impar tolerandis irritationibus, multiplicibus œconomia corporis, in errores proturbetur, aut negotium ſuum deſtituat.

§. XIV.

Eruptio hæc, uti dictum, tertio die incipiens, ex ipſius affectus genio, ſuccedit *placidè* atque tranquillè, ſine commotione inſigni motus *localis* ſanguinis, adeoque ſine *febrilibus* notabilibus & ſenſibilibus ſymptomatibus. Sed etiam ſine aliis commotionibus *excretoriis* craſſioribus, in ſpecie *ſudoris*; ſed manet intra limites ſimplicis benè liberæ *tranſpiratoriæ* appulſionis ad periphæriam corporis: Adeò, ut multos etiam, ita ſolum veſtitos, ne *frigeſcere* poſſint, eruptio non ſolum velut occupet, ſed etiam, *orthoſtadiis*, & extra lectum verſantibus, rectiſſimè ſuccedat, modo ſenſum *frigoris*, è ventilatione aëris â deambulatione, aut admiſſione liberi flatus, evitent.

§. XV.

In primâ apparitione, conveniunt inter ſe tam *Variolæ*, quam *Morbilli*, in eo maximè, quod ſtigmatum rubicundorum ſchemate, viſui occurrant: Licet rem valdè ſolerter inſpiciendo, *Variolæ* etiam mox, *puſtulari* elevationi propiores appareant, nempe ê parvo ambitu ad faſtigium aliquod

liquod aſſurgentes: Dum *Morbilli*, ſub qualicunque ſui latitudine, tanquam planiores, & nudis *maculis* ſimiliores, manent. At mox, altero ad ſummum die, magis diluceſcit, utri generi accenſendæ ſint hæ effloreſcentiæ, dum *variolaceæ*, magis magisque manifeſtam ejusmodi *elevationem* puſtuloſam ſuſcipiunt.

§. XVI.

Variolæ, ſenſim ſenſimque *bullulas* quaſi formant, à minimi, ad mediocris, *piſi* diſſecti, ſimilitudine. *Morbilli* autem, lenticulari ſolùm, & dimidiata quidem, imò preſſa usque, eminentia ſe ſiſtunt, nempè omninò cutis planitiem eminentiâ aliqua ſupergredientes. Sed re vera curioſius eſt, quàm utilius hoc diſcrimen, tali tempore, ex adſpectu venari, aut divinari, quantum ad *Medicum* reſpectum attinet; cum re vera, rem totam ſine fuco eloquendo, utriusque hujusmodi affectus, hoc maximè adhuc tempore, in nulla re differat, quæcunque tandem tunc locum habere poteſt, tractatio medica: Quæcunque verò ſubeſſe poſſit ſedulitas, ad definiendum hujusmodi excretionum veram ſpeciem, longè propius ad manus illa haberi poſſit ex analogiâ aliorum, tunc jam longius, â geminis hujusmodi initiis, progreſſorum. Siquidem vix unquam contingit, ut *variolæ* aut *morbilli*, primum graſſandi initium faciant à ſolis illis, apud quos ſciola illa impatientia, etiam gratuitam & verè inutilem hujusmodi determinationem exigat; quin jam alibi paſſim, longè minore curioſitate exſpectata, vera & matura ſtigmatum talium perfectio, ſatis clarum reddiderit, *variolæ* nominandæ ſint, an morbilli, hæc ita epidemicè increbeſcentia apud plures, minorennes imprimis, exanthemata.

§. XVII.

Illud autem notatu dignum quod *variolæ* quidem, rectiſſimè ſuccedentes, ſinceriùs ſemper ad *rotunditatem* aſſurgant, tam ambitu, quam apice. In quibus autem ſubjectis non æque liberaliter procedunt, in illis *ſeſſiles*, nempè depreſſo

preſſo quaſi medio, compareant; minus laudabili, utpote impediti exitus, indicio.

§. XVIII.

Interdum autem citò, nempe feſtinato ſucceſſu, attolluntur; jam altiùs quàm latius, & ferè in genere minore ambitu, unde noſtrates Spitz-Pocken nominant. Aliàs, ſatis quidem grandes, ſed citò tamen, & valde limpido humore turgentes, qui etiam citra ſpiſſeſcentiam inſignem exſpectatam, intra pauciores, quam ordinariè, dies, ruptis veſiculis effunditur, tanquam præmaturè: quod Wind-& Waſſer-Pocken appellant.

§. XIX.

De quibus tamen rebus, illud omninò notatu dignum habendum venit, quod hæ conſtitutiones *variolaceæ*, licet immaturum quid & crudum agitare exiſtimari poſſent, tamen *veris* variolis, quocunque ferè intuitu, mitius, &, ut loquuntur, benigniùs, ſe ſe gerant.

§. XX.

Morbilli, quando magnitudinem ſui juſtam, ad piſi mediocris latitudinem, aut circiter, aſſecuti ſunt, nullam aliam ſubeunt mutationem, niſi ut aliquot dierum decurſu, *ruborem* ſui minuendo, & iterum magis ſubſidendo, ſenſim ſenſimque evaneſcant, relicto tamen ut plurimum *furfuraceo* aliquo reſiduo, quod facilè deteritur. Neque verò etiam ubi ſemel plenè effloruerunt *Morbilli*, periculum facilè adhuc ab illis impendet, ne retrocendo adhuc, plus aut minus, damnum objiciant. Imò, licet etiam ipſi *morbilli*, imprimis in facie, à plena ſui eruptione, usque ad diſparitionem, & *inflationem* aliquam ſenſibilem cutis, & *ardorem* aliquem inquietantem, ſecum ferant, non eſt tamen hoc utrumque paris energiæ, ut in *Variolis*.

§. XXI.

Si tandem Hiſtoriam etiam ancipitis *eventus*, utrorumque horum exanthematicorum affectuum, conſideremus

mus, audiemus quidem per trivia ſcholarum Medicarum, quod *par* cenſeri mereatur *variolarum* atque *morbillorum*, periculum; ſive, terminis technicis hîc uſitatis, *morbilli* ſæpè magis *malignæ* ſint indolis, quam *variolæ*: Interim experientia univerſalis, nec præjudiciis ullis, neque perverſionibus obfuſcata, hoc omninò docet atque ſuggerit, quod, ſi quæſtio in terminis habilibus formetur, nempe de ſpecie ut in ſe, non de temporariis conſtitutionibus ſecundum magis aut minus, quod omni modo *variolarum* malignitas, omnibus modis atque reſpectibus deterior ſit, quam *morbillorum*. Dico, quod verè *malignè* ſeſe gerentes *variolæ*, aut quocunque inſigni errore tales redditæ atque effectæ, deteriores ſint, quam morbilli *maligni*.

§. XXII.

Quamvis enim eventus *malignitatis* veræ, utrinque eodem tendat, & eundem exitum tandem ſortiatur, nempe *mortem*; nemo tamen etiam valdè difficile judicare poterit conceptu, quod etiam ipſa malignitas, ſecundùm has imprimis circumſtantias, æſtimari, non poſſit magis, quam reverà debeat; nempè, ubi promptiùs & etiam familiariùs ſeſe exſerat, citiùs & profundiùs veluti radices agat, longè difficilius mitigetur aut corrigatur, diutiùs inſiſtat, & propemodum certius magnitudinem periculi, ad lethalem usque exitum, foveat & conſervet. Hæc autem omnia accidentia, *variolis* malignis majore gradu impendere atque convenire, præter communem experientiam, teſtatur omninò, etiam ſimplex ratio: eo argumento, quod non ſolum circa *eruptionem*, ſed *facta* etiam illa, imò in ipſa *maturatione*, quin apparente jam quaſi felici *declinatione*, levibus paſſim de cauſis, variolis objici poſſit ejusmodi periculoſa *inconſtantia*, *ſucceſſus* ſui vel *impeditio*, vel *vacillatio*, à qua deinde non ſolum ulteriores periculoſi, ſed etiam planè funeſti, eventus, non interrupta ſerie, tanquam certò, ſubſequantur.

§. XXIII.

Ubi nempe tanquam ultimo loco, de *variolis* imprimis, illud notari meretur, quod hæc exanthemata, poſtquam jam tota non ſolum *maturuerunt*, ſed *rupta*, *evacuata*, imò *deſiccata* ſunt, adhuc tantum periculi fovere poſſint & ſubinde ſoleant, ut patientes teneriores, vel paulò negligentiùs ab aëris liberi, frigidi, aut turbulenti, uſu ſibi caventes, derepentè non ſolum vitæ periculum, ſed ſæpe, imò communiter, damnum adhuc ejus & jacturam, ſubeant.

XXIV.

Id quod imprimis valet in illis *Variolis*, quæ admodum lento ſucceſſu, dico *aliæ poſt alias*, *novæ*, poſt multas jam prægreſſas, emicant: quale quid nempe ita aliquando evenit, ut etiam jam matureſcentibus reliquis, largiter etiam & copioſè egreſſis, adhuc hic illic, quantumlibet etiam paucæ, de novo comparere animadvertantur, & poſt reliquas demum ad maturitatem venire. Ubi, cum ita ſalutariter exſpirantibus, copioſis, tempeſtivè egreſſis, opportunè maturatis atque decenter ruptis, deſiccatis, quin jam cadentibus, tamen adhuc ita minus perfectè maturæ *pauciores*, improvido regimine *retrocedentes*, ipſam mortem inferant. Cujusmodi conſtitutionem, totius autumni, anni 1692. obſervaſſe recordor; ubi, licet nec multæ admodum, complures infantes invaderent; neque difficulter etiam exirent; commodè etiam ſatis matureſcerent, quin etiam omnibus modis ſalutariter & ſecurè deceſſiſſe viderentur, imò, ubi ſolum juſta continentia ſervabatur, verum atque firmum maneret hoc præſagium: ibi apud aliquos ejusmodi, non magis infantes, quam jam tum pueros, propter ſummam jam euphoriam negligentiùs obſervatos, obtigit, ut aliquot talium ex improviſo, malè rurſus habere, atque citò languere, imò cadentibus viribus deficere, deprehenſi, tanquam ἀπὸ μηχανῆς erumpentibus *convulſionibus*, intra paucas horas interirent. Unde inſignis Conſternatio parentes omnes invaſit,

ne

ne ſui etiam ægri paria fata experirentur, anxios; & occurrebat jam paſſim rumor, de *clandeſtinâ ſummâ malignitate*, qui in eo erat, ut more ſolito, penetrantiorum vulgò habitorum, *alexipharmacorum* periculoſo abuſui portam aperiret, niſi paulò circumſpectiùs ſollicitorum parentum obſervatio, meritò cautiori dehortationi Medicæ ſociam operam junxiſſet, animadvertendo, quod familiariter, illâ conſtitutione, admodum tardo ſucceſſu, *aliæ*, *poſt alias*, ita exortæ puſtulæ, & ita etiam *aliæ poſt alias* plenam maturitatem adipiſcentes, ut manifeſtam periculi rationem oſtendant, ita ſi etiam, ut loquuntur, indicationem ſimpliciſſimam ſequerentur, debitè cautam gubernationem infantibus ſuis eo usque adhibendi, donec perfectè omnia evanuiſſent, experirentur etiam non minùs ſecurum atque ſalutarem univerſum exitum, quàm tranquillum & æqualem prægreſſum totius affectus decurſum.

§. XXV.

Ultimum quod in hac *hiſtoriâ* memorandum veniat, ſunt *ſymptomata extraeſſentialia*, ſeu verè *adventitia*; talia tamen, quæ ſic ſatis facilè complicari cum his exanthematibus ſoleant: Adeoque vel planè hominibus aliquibus videantur *directè* ad hos affectus pertinere: ubi verò non compareant, referri debere ad canonem illum philoſophicum, ut *magis*, ita *minus*, *non variare ſpeciem*. Qui, uti quidem ſatis rectè ſeſe habet, non tamen pari greſſu incedit *applicatio*: quandoquidem talia, non tam alibi ſolum *minùs*, quam alibi *magis*, concurrunt: Sed re verâ *planè non* ſentiuntur ſatis ſæpe, adeoque ad canonem allegatum non quadrant. Sunt autem hæc, perturbationes aliquantò ſenſibiliores *capitis*, quaſi *gravedinoſæ*, *pectoris* tanquam *humido-tuſſiculoſæ*, *ventris tormina* aliqua, *murmura*, *inflationes*: aliquando *fluxus alvi* coorientes: *Hæmorrhagiæ narium*, *largæ* imprimis & ferè *prodigæ*. *Variolarum* provontus intrà *nares*, *infundibulum*, cavitatem oris, & *fauces*, *ſternutationes*

nes.

nes, anguſtias per nares reſpirandi, *faucium* inflationes, poſt ſeſe trahens: *Oculorum* læſiones, ab exanthematibus innaſcentibus, *variolis* inquam, vix autem unquam *morbillis*; tandem *eroſionis cutis*, in *facie* familiariùs, in *manibus* non æque communiter aut jugiter cum facie, conſolidatio; juſta atque plena, deficiens, unde *foveæ* perennes, per omnem vitam reſtitantes.

§. XXVI.

Duo ſuperſunt ſymptomata, unum *commune*, non ſolum cum aliis *exanthematicis*, ſed propemodum omnibus vulgò malignis *habitis*; *ſpaſtici* quidam ſenſus, imprimis in *dorſo*: Alterum magis propemodum *proprium*, *cohibitio ſpontanea* alvi, certius *ſtrictoria*, quam *obſtructoria*: quod tamen ipſum nequaquam perpetuum, imò ne quidem ita uſitatum eſt, quin pluribus numero ægris non eveniat, quam evenit aliis. Interim, quibus etiam evenit, ſi de reliquo & abdomen ſit tranquillum, & quæ ad affectum ipſum pertinent, placidè atque vegetè in ſuo genere ſuccedant, tantum abeſt, ut hoc ſymptoma ſollicitum habere debeat, imprimis Medicum, tanquam illi *expugnando* mentem adjicere deberet, ut potius etiam inſolita continuatio, ut dictum, cœteris paribus, tanquam ordinariè nihil damni inferat, ſed temerè ſuſcepta *proturbatio*, longè plus periculi minitetur, & paſſim exhibeat.

§. XXVII.

Cœterum, rectè perfuncti utrisque his affectibus, non ſolum *vegetiores* hinc, *alacriores*, & omnibus modis plena *ſanitate* potiti, ſentiuntur; ſed habent etiam hoc veluti peculiaris planè privilegii, ut per totam vitam huic eodem morbo ſe expoſitos *ampliùs* non eſſe, longè certè maxima talium pars, experiantur: Imprimis *Morbillis*: *Variolæ* etiam, licet aliquibus *bis* per vitam obtingant, paucioribus etiam *tertiâ* vice, tamen, ad ſummum, hunc numerum *tranſcendiſſe*, ut ſupra etiam notavimus, fando nunquam perce-

ptum

ptum nobis ſit, aut compertum, de *Europæis* ad minimum gentibus.

§. XXVIII.

Abſolutâ ita hiſtoriâ, *ſibi relictæ indolis* Variolarum atque morbillorum, inſtituendus etiam eſſet, uſitato more, par prolixus diſcurſus de *Cauſis* horum affectuum. Sed quid nobis ſuadeat, ut non plura hic eloquamur, quam vel neceſſitas exigat, vel vera aliqua utilitas quaſi poſtulet, breviter proferemus. Primum eſt, quod *vera* atque *genuina* cauſa horum affectuum, ingenuè atque cordatè rem, ut eſt, ediſſerendo, verè *ignoretur*. Secundò, quod etiam *progreſſus* uſitati cauſa, magis *communis* ſit, *criticis* periodis ſuperſtructa, quam *propria*, his *quà* talibus. Tertiò, tantò minus autem illud expediri poſſit, quænam cauſa ſubeſſe poſſit tam exquiſitæ indolis, ut communiſſimè *unico* hujus expurgationis actu ita aufferatur, ut nihil usquam amplius ejus ita reſiduum maneat, ut, quod vulgò volunt, *fermentali* quaſi ratione, (in corpore tamen quomodocunque deliteſcens,) aliquando iterum concitatum, ſi non magnas, tamen adhuc aliquas, ejus ſpeciei corruptelas, denuò aut ſubeat aut inferat. Cum, quod meritò quartò loco allegamus, in corpore humano, ita ut ajunt, *deliteſcere* atque aſſervari poſſit, hæc qualiscunque, ſive *materia*, ſive certè *diſpoſitio*, ut etiam per totam vitam ſecuris eſſe nunquam liceat, quin adhuc in actum deducatur, quod tota præcedente ætate non ſit factum. Ubi etiam quinto, nihilò magis, ſed propemodum etiam minus, ulli ſolidæ explicationi obſequitur, illa circumſtantia, quæ etiam ſuprà tacta jam eſt, quod hæc diſpoſitio, tanquam *ſponte* aliqua ſua, in actum deduci, adeò non vereſimiliter, nedum certò, compareat, ut potius, ê numeroſis exemplis, notum ſit, quod quamdiu exquiſitè *caveri* poteſt, ne homini *contagium*, ab aliis, affectus hos actu tolerantibus, allabatur, inauditum nobis quidem habeamus, *ſponte* ſua, in uno aliquo homine, hanc diſpoſitionem velut expergiſci, & in a-

ctum

ctum aſſurgere: Niſi quidem *infantili* ætate aliquid amplius hic tribuendum putari poſſit, quam, velut indubiè, de *adultis* aſſeverare, integrum reputamus.

§. XXIX.

Meritò verò pro vero fundamento omnium harum difficultatum, quo minùs, aut certè præcipuæ ex illis, enodari poſſint, accuſamus, incertitudinem illam, (niſi quidem potius, ut nobis videri jam profeſſi ſumus, ſatis certum ſit,) quod hi affectus non *ab omni ævo*, humano generi incubuerint; ſed potiùs propiore tempore *exorti*, aut certè in totum genus humanum *diffuſi*, fuerint. Ita enim nemo erit emunctioris naris, cui non ſuboleat, quod vulgò a Medicis jactata illa ætiologia, quod à neſcio quibus *venenatis* qualitatibus ſanguinis *menſtrui*, *quatenus* talis, infanti, mirum! etiam in *nutrimentum* cedentis, omninò iterum ê corpore excutiendis, hæ expurgationes ortum ſuum habeant. Neceſſariò enim ita, tanquam ab incunabulis primi mundi, ut inſeparabilis ab humana educatione, ita etiam vulgatiſſimis ſermonibus celebratus, eſſe debuiſſet hic affectus. Cujus rei, cum manifeſta dubia ſupra commonſtraverimus, nihil certè ſolidi, illis ſuperſtrui poſſe, evidentiſſimum eſt.

§. XXX.

Proferemus aliquam, quæ nobis probabilis videtur cauſalem rationem, quæ ſubeſſe potuerit, quamobrem hi affectus re vera demum propioribus ſeculis *diffuſi*, in orbem univerſum ſint, ê gente, cui ab omni antiquitate *proprii* fuiſſe, veroſimillimum haberi poſſit. Eſſe hos affectus, *cuti* quam maximè infeſtos, & in hac propriè, veram ſuam ſpecificam indolem, tanquam aſſequi, explere, & abſolvere, ante omnia notari volumus. Jam cum gens *Nigritarum* & *Cafrorum*, evidentiſſimam illam planè peculiarem texturam *cutis* ſuæ habeat; præterea ſub *fervidâ zonâ*, diurnis æſtibus ſanguis ejus validè exagitetur, nocturnis contrà frigoribus (ad minimum ad diei ardores collatis) potenter alteretur;

hæc inſuper *Cafrorum* gens, uti ſtatura tota, ita etiam plenitudine ſuccorum, communiter reliquas nationes antecellat: Suſpicamur, *endemium* potius, & tantisper domeſticum huic hominum genti, fuiſſe hoc genus affectuum; ab illa autem, à navigationum demum & commerciorum frequentiorum temporibus, ad *Europæos exportatum*, &, generaliore quadam ratione, etiam his, ab illo tempore, quin etiam *hæreditaria* impreſſione, tanquam ingeneratum. Illud certè omnes propemodum, qui ad noſtras manus pervenerunt Commentarii navigationum ad illas gentes, (licet non pro tota dignitate, tamen ſatis, quod ad ſummam rei attinet,) memorant, & tanquam uno ore confirmant, quod inter has gentes, & *familiariter* graſſentur hi affectus, & tam *adultis* imò *annoſis*, quàm minorennibus, inſultent. Ut pigere non immeritò poſſit, quod non curioſiùs percontari, huc usque libuerit cuiquam ſociorum nauticorum, quod veriſimile reputamus, an his in gentibus, ſingulis etiam multò ſæpius per totam vitam iterum iterumque ingruant: Sicuti certè etiam illud impoſterum curioſiùs exprimi mereretur, quod in aliquibus relationum talium ſubindicatum legimus, nempe, quod etiam inter Europæos ſocios navales, ibi ſtativa habentes, variolæ graſſatæ ſint, an his etiam, plerisque aut omnibus, jam ante illas in Europa paſſis, evenerint? Sicuti certè aliàs vix trigeſimus quisque hominum, ut moderatiſſimè loquamur, ab illis immunis manet ad id ætatis, qua Africam inviſere ſoleat: Ridiculum autem fortè reputari poſſet, caſum talem ſupponere, quaſi fortè fortuna tot in unam navem conveniſſent, qui variolas nondum experti eſſent, &c.

§. XXXI.

Quamvis autem re vera etiam ex hac qualicunque curioſitate, medicis *intentionibus* aut *indicationibus* parum commodi accreſcere poſſit; quia tamen æternæ veritatis eſt, quod plurimum præſtet, ignorantiam ſuam de qualibet re

agno-

agnoſcere potius verecundè, quam *falſam opinionem* pro veritate aſſumendo, imò venditando, non *errare* ſolum, ſed & conſueto, vanæ imprimis ſcientiæ, uſitato more, tali ejus opinione *inflari*: Talis autem conſideratio, qualemcunque utique velut aditum ad hoc præjudicium evertendum pandat, non prorſus de nihilo utique fuerit, tali potius rei animum applicare, ad perpendendum, quid in illa *veri* ſubeſſe, fortè perſpici poſſit; quam pluribus modis incertiori uſitatæ illi opinioni ſimpliciter aſſentiri, quæ non ſolùm, abſolutè *tôti humanitati*, ab *omni ævo*, communem hanc labem, (deficientibus omnibus teſtimoniis, hiſtoriæ æque, atque præſumptionis de antiquorum Medicorum ſolertiâ) affingere potius, quam efficere, contendit: ſed & hoc nominatim *menſtruo* ſanguini imputare: aſſumptis etiam in ſubſidium novis, paris incertitudinis, de hujus *malignis* qualitatibus, figmentis. Ut multa talia paſſim occurrunt ſe ipſam deludentis humanæ credulitatis exempla, ita unum illorum allegare non injucundum fuerit. Vir, huic ſententiæ exinde favere inductus, quod liberi ſui, adhuc minorennes, his affectibus nondum laboràſſent; oblata occaſione, non ſolum confeſſus, ſed potius tuitus erat eandem: hoc experimento potius, quam argumento, quod Conjux ſua, communiter toto geſtationis tempore, ordinarium *menſium fluxum* experiri conſuêſſet, unde etiam liberi ſui ab horum affectuum inſultu immunes exiſtant. Oppidò autem incommodè accidit, ut paucis poſt hanc cauſam oratam ſeptimanis liberi ejus privilegio huic renunciarent, & tam ingenuè quam ulli alii, variolas experirentur.

§. XXXII.

Re vera verò, noſtra quidem ſententia, adhuc majorem difficultatem expediverit ille, qui conſpicuam aliquam *rationem* exhibuerit, notiſſimi illius phænomeni, quod paſſim usque ad *ſeriores* etiam *ætatis* annos, in corpore ita *latere* poſſit hæc diſpoſitio, ut non ſolum tardiſſimè in effe-

ctum deducatur, ſed etiam nunquam niſi actuale *contagium* ejusdem ſpeciei, illam in actum deduxerit. Ubi certè ad ita craſſis *materialibus* cauſis philoſophari, vix ulli, non pedibus in ſententias ire parato, promptum aſſenſum perſuaſerit.

XXXIII.

Unde quidem ne tempus, verba, imò chartam ipſam, perdamus, inſiſtimus potiùs aſſertioni noſtræ, quod ulla eo usquè probabilis ratio ætiologica harum rerum, quæ non manifeſtioribus, & magis ponderoſis, rationibus, *falſitatis* ſuſpicionem foveat, nequaquam in tota doctrina medica ſuppetat. Nobis autem firmiſſima ſit illa theſis, *præſtare nihil potiùs omninò dicere*, quam quicquam *falſitati* manifeſtius obnoxium: Ne prætextu *veritatis* indagandæ, peſſima permutatione *falſum in veri dignitatem* ſubornemus.

XXXIV.

Certè verò ipſa hæc harum rerum conſtitutio, temerè judicantibus, imprimis autem ignorata artis medicæ ſinceriore indole, injuſtè potiùs condemnare illam, quam ſolum illiberaliter contemnere, præcipitibus, occaſionem ſubminiſtrare putari poſſet, intemperiem ſuam adverſus artem noſtram effundendi, & inanem illam propterea, ne dum inutilem, arguendi. Re vera verò planè aliter habere ſe res deprehenditur, ſi prudenter omnia æſtimentur. Sicut enim jejuna certè habenda eſt illa ſapientia, imò ſi procaciter contendat, ſtoliditatis damnanda, quæ propterea contemnere artem medicam geſtiat, quod necessè habeat *naturam ſequi*. Cum Natura, hoc ſenſu ſumpta, ſit ipſiſſima ſummi atquè ſapientiſſimi Creatoris talis inſtitutio, qua etiam manifeſtè nihil ſapientius, certiusve, vel etiam promptius & facilius, nec imitari quidem poſſe, ne dum excogitari, ratio liquidiſſima agnoſcere prorſus atquè confiteri necessè habeat. Ita habet utiquè adhuc tutam ſuam dignitatem *vera* ars Medica, quantùmlibet directas cauſas ortus ha-

harum rerum non agnoſcat. Dum utiquè illi non magis *ſufficit*, quam propriè potiùs *competit*, *effectus* malarum cauſarum, *morbos* ipſos, ſalutariter corrigere, & corpus integritati ſuæ *reſtituere*: Quam ſimpliciter omnes cauſas præoccupando, ne corpus unquam lædatur, in ſolidum præcavere. Nequè certè quicquam ad veritatem effectus *Medici*, ſalutarem liberationem corporis, atquè integritatis ſuæ reparationem, pertineat, qua tandem ratione, ſive *interceptoriâ* cauſarum, ſive *ablatoriâ* effectuum, imò utriusquè concurſu, *verè* tamen atquè *ſolidè*, ſcopum ſuum exequatur, imò aſſequatur.

§. XXXV.

Vnde quidem potius hoc ipſum exemplum *variolarum* atquè *morbillorum*, longè illuſtrius documentum præbet, veræ *dignitatis*, artis *medicæ veræ*, tam quoad *therapiam*, quàm *pharmaciam*. *Therapiam* quidem, dum ſpecimen ipſum exhibet, quam ſapiens ſit inſtitutum illud, allegato ſenſu acceptæ, *Naturæ*, tam ipſo cœpto, quam procedendi & perficiendi facilitate; ex propria rei indole, & abſentibus aliis heteroclitis, incidentibus, concurſibus. Quà *pharmaciam* verò, prudenter diuina inſtituta æſtimantibus, duo certè *theoremata* offert, non magis in *medicina*, quam tota vita humana, digniſſimæ contemplationis. Primò, ne temerè, *multa*, & obvia, varii generis inſtrumenta atquè media, tanquam ab ipſa rerum Natura exigamus; aut, frivolè & protervè indignemur, non data aut conceſſa eſſe; Ubi interim *unum* aliquod, velut *eminens*, atquè *certum*, datum occurrat, quod imprimis apertam etiam efficaciæ ſuæ energiam, intellectui relinquendo, eo ipſo potentiſſimè ſuadere debeat, ut ipſum non ſolum condignè æſtimemus, ſed etiam ad alia reſpectare, *protervum* potiùs, quam *curioſum*, judicemus. Secundò, ut ubi veram atquè ſolidam, talis generis efficacium remediorum aliorum, copiam, à Deo (à quo enim alio?) non oblatam, certi eſſe poſſumus; ſed

non

non ſolum nullam talium *neceſſitatem*, adeoquè ſupervacuam inutilitatem, verum etiam paſſim certiorem *turbandi* atquè nocendi energiam, non ſolum multiplici experientia percipiamus, ſed etiam ſatis ſimplici ratione, quod hoc ita euenire, non magis ſolum *poſſit*, quam re vera planè *debeat*. comprehendere valeamus: nihil certè aliud juſtum, æquum, imò neceſſarium, & ferè ſanæ rationi conſonum fuerit, quam à vanis, cum talibus *alienis* rebus, auſibus, mentem potiùs atquè manus abſtinere.

§. XXXVI.

Nequaquam autem in diem, aut rhetoricâ vanitate, hoc diximus, quod *nullis aliis mediis*, his duobus affectibus opus eſſe, quam *Naturæ* ipſi *inſitis*, nempè à Deo inditis & condoctis, verè mederi liceat, atquè datum ſit, & quod hujus rei, luculentiſſimum, & illuſtrius, quam in omnibus aliis morbis, evidentiſſimum in his occurrat documentum. Cum enim de his affectibus, non *magno* fortè ſolum numero, ſed *immenſo*; nequè per diuerſa fortè loca, (unde relationes, temerariæ poſſint, aut ſuſpectæ eſſe,) ſed *omnia* hodierni mundi; nec ambiguis fortè, ſed *claris*, & in omnium hominum oculis poſitis, exemplis, quotidianis veluti atquè conſtantiſſimis experimentis, toti mundo notorium exiſtat quod *immenſum* quantum *maior* hominum pars, nempe *omnes* qui vivunt ad ſenectutem, [parva certè portione excepta,] his affectibus perfuncti fuerint; horum autem porrò tantus numerus, ut qui ab illo excerpendi ſint, iterum minimam partem efficiant, nempe non ſolum omnes ferè plebeji, ſed re vera etiam plurimi cujuſcunque ſtatus prudentiorum matrum ſoboles, hoc *unico*, *ſimplici*, *ſpontaneo*, Naturæ ſubſidio atque medio, ita abſolutè, *rectiſſimè*, & *promptiſſimè*, & *ordinatiſſimè*, his affectibns perſungantur, citrà ulla alia *artificialia*, conſilia aut auxilia: Stat utiquè inde firmo prorſus talo hæc ſententia; nullis captioſis præſidiis, ſed omnium hominum facili judicio obviis, innixa.

§. XXXVII.

Imò, plus dico, & minus ad animum admiſſam rem, in memoriam revoco, & meritò in lucem protraho; De reliquo nihilo artificioſiorem neque verſipellem, ſed tantundem libero omnium hominum conſpectui & intellectui patentem. Ego, Præſes, hoc à me obſervatum eſſe, aſſevero, &, cum in nullis ſubtilitatibus, aut reconditis circumſtantiis occupetur obſervatio, quin omnibus hominibus planiſſimus ſit aditus, ad hujus rei parem plenam animadverſionem aſſequendam, imò ſola attenta recordatio hic omninò ſufficere poſſit, vel ad hanc ipſam meritò provoco, quod, *plerique omnes infantes*, (qui variolis & morbillis *intereunt*, citrà *prægreſſas* individuales malas valetudinis prædiſpoſitiones, aut *inconditum* & verè *malum regimen*, poſitivè noxium,) quod, inquam, omnes tales, propriè moriantur ſub uſu *artificioſorum* tentaminum; vel ipſorum etiam *manifeſtius* inconditorum & inconvenientium: Vel, licet è pandemia perſvaſione pro talibus non habeantur, tamen *inutilium*, & *non neceſſariorum*. Quamvis hoc loco, primò meritò inſiſtam illi propoſitioni, quod plerique infantes, qui dicto modo Variolis *intereunt*, citrà *accidentales*, ſive prægreſſas, ſive ſupervenientes, cauſas, ſint illi, qui *artificiis* tractantur.

§. XXXVIII.

Nequaquam autem argutiis opus eſt, aut ſubtilibus, ut ſtolidè appellari, ego Præſes moneo, & affectatis diſtinctionibus. Sed teſtis eſt totus mundus, quod de illis infantibus, qui ſine ullis *artificiis*, ſimplici ſpontaneo ſucceſſui horum exanthematum relinquntur, longè pauciſſima pars intereat, (teſtibus exiſtentibus plerisque omnibus, *plebejis* imprimis, hos affectus expertis) quam qui effatu dignis habitis *artificiis* tractantur. Illa verò videri poſſit paulò exactior, nullo tamen modo affectata, ſed omnibus hominibus facillimè liquidò explicanda, intimior differentia, quod, ſi numerus

merus illorum, qui ab his affectibus intereunt, ſine ſatis evidentibus, alienis cauſis, citra tamen concurrentia ulla *artificia* externa, (quandoquidem talia, ex pandemio præjudicio inter externas cauſas mali eventus, nequaquam allegan-da putantur,) ſi conferantur ad eorum numerum, qui *ſub* uſurpatis *artificiis* moriuntur: Dico, qui ſine artificiis *non moriuntur*, aut *moriuntur*, & ſub artificiis *non moriuntur* aut *moriuntur*: aſſevero, & teſtimonium ab experientiæ animadverſione petendum, teſtimonii vice commendo, quod utroque ſenſu, inter hæc utraque, immanis differentia occurſura ſit: Dum nempè, longè pauciores, de immani illo numero, ſine *artificiis* adhibitis, & contra, longè plures *ſub* artificiis, etiam de parvo illo numero, qui talibus ſubjicitur, *mori* deprehendentur.

§. XXXIX.

Facimus propterea potiùs progreſſum, à *curioſâ* pathologiâ, ad uſum *therapeuticum*, *veræ* horum affectuum, imprimis autem *variolarum*, *pathologiæ*. Dico *veræ* pathologiæ: quæ nempè maximè reſpondet, conſpicuæ, *ſalutaris* decurſus horum affectuum, adeoque ſalubris *reſtitutionis*, hiſtoriæ. Quæ itaque ad *medicum* ſcopum exactiſſimè pertinent, dum hic quoque non alium, niſi ſimpliciter hunc eundem ipſum ſcopum pro objecto habet, nempe ſalutarem *reſtitutionem*. Quamobrem corruptela, ex his affectibus pullulans, ad *ſuperficiem* corporis non ſolum eliminetur, ſed veriùs, quod ajunt, *expellatur*, habet certè cauſas juſtiſſimas, è *vitali* nempè corporis conſervandi, intentione. Cum enim detentio talis corruptelæ in intimioribus, tantum damnum inferat, ut certa mors hinc exſpectanda veniat, propter inevitabilem *tenerorum* viſcerum, nempè *vitalium* organorum, everſionem: qualis in *ſuperficialibus*, minus nobilis uſus, partibus, non indidem metuenda veniat: Rectè certè & ordine *emovetur* ita, hæc ſubſtantia, ad illam corporis circumferentiam. Quemadmodum autem hic non

ſolùm

ſolùm ſupervacua atque ſterilis, ſed etiam nulla in mundo, ratione probabili affirmativè definienda, eſt illa quæſtio, an hæc expulſio ad cutem ex *materiali* maximè, quam vulgò *mechanicam* vocant, aptitudine, nedum *neceſſitate*, contingat? (dum utique, non ſine damno, tam ex *reſtitatione*, quam facillima *retroceſſione*, horum exanthematum, omnis major propenſio, nedum *neceſſitas*, effuſionis eorundem ad cutim, penitiſſimè evertitur.) Ita ejusdem certè commatis eſt, propior illa circumſtantia, cur ita ſtrictè, *tertio* ad quartum diebus, hæc eruptio inchoari debeat; ut citiùs quidem fiens, magis: tardiùs autem, minùs quidem, non tamen minimùm, periculoſum & heteroclitum ſit, eruptionis machinamentum. Dum utique ad ſalutarem, omninò etiam *Medicum*, ſcopum, & ſufficit, & neceſſarium etiam eſt, illud intelligere, quod hoc ita procedere, non ſolùm *ſoleat*, ſed etiam, ſalutariter, aliter non poſſit, aut proinde debeat.

§. XL.

Proximum autem hinc, eſt illud, quod hoc ipſum, hic inquam juſtus, legitimus, & *ſalutaris* proventus, *excluſionis* morbidæ hujusmodi corruptelæ, regulariter & ordinariè, etiam *ſpontè* eveniat & ſuccedat. Quæ res tanti momenti eſt, ad Medicam conſiderationem, ut ingens, imò ſimul luculentiſſimum, decretum interponat, ſciolæ illi otioſorum hominum, re vera nugatoriæ, ſciſcitationi: *Nulline ergò uſui Medicus*? *otioſa ars* Medica? Ergò omnia (& ubique, ſeu per omnia,) Naturæ demandanda, aut relinquenda? Non enim his reſpondendum, ſed cordatis hominibus denunciandum atque edicendum venit, non ſolùm nullam utique, *hîc* eſſe *neceſſariam*, tantò minùs autem majorem & utiliorem, ſeu verius *efficaciorem*, energiam, *Artis*, quam eſt *ſpontanea* illa, ipſius ſibi conſtantis Naturæ: Sed etiam certo *damno* inferendo, & expoſitam eſſe, & unicè aptam, *intempeſtivè* abſolutè, ita ſeſe ingeſturam, *artem*: idque non

è naſutis aliquibus argutiis, ſed ex ſolidiſſima, adeoque ſimpliciſſima, omnibus hominibus obvia ratione.

XLI.

Quid enim magis planum eſſe poſſit, quantumlibet ſimplici intellectui, quam illud, quod, ubi jam ſua ſpontè τὰ δέοντα ποιεῖ, *quæ fieri debent*, *facit Natura*, ibi, quicquid huic adjicitur, illud NIMIUM, (non ſolùm *ſupervacuum*) evadat. Cum verò *nimium*, etiam hic quam maximè, vertatur in vitium, evidens hinc certè ſit, imò planum, quod nullæ hîc pateant partes *arti*, niſi ad *damnum* potiùs temerè, quam uſum, præſtandum.

§. XLII.

Ut autem tandem verè diluceſcat, & velut in oculos incurrat, quidnam *dignitatis*, Medicina, ê vera *experientiæ* conſideratione atque æſtimatione efformata, ſibi tribuere, & uſibus humanæ ſalutis præſtare poſſit, meritò referenda huc ſunt verba ſummi Philoſophiæ practicæ Oratoris, *Senecæ*. *Vis ſcire*, inquit, *quid Philoſophia promittat generi humano?* CONSILIUM. Idem in ſubſtratâ materia omninò dicere fas eſt, de Medicinâ. Sicut autem ad verum atque ſolidum *Conſilium*, verè inquam ſcopo ſalutari inſerviens, exacta utique notitia objectorum requiritur, circa quæ verſari debet; adeoque nihil jejuni aut otioſi, hujusmodi *Conſilio* quadrat, ſed *vera*, pro re nata, etiam *multiplici*, & *ſcientiâ* & *prudentiâ*, opus eſt, ad tale verum *utile* Conſilium formandum, & *opportunè* in uſum deducendum; Ita valet hoc omninò exquiſitè de *Medici* etiam *Conſilii* veri atque *ſalutaris*, formatione ſeu inventione. Dum hoc nequaquam, vel *methodo inveniendi* ſimpliciter obvium atque triviale, exiſtit; aut, quod verè bonum atque ſalutare, ex otioſa ſimplici cogitatione aut ſpeculatione, profluere poteſt: Nec ità uſu ſui *otioſum* aut jejunum eſt, ut temerè hinc valeat illud plebe ſola dignum: Das verſteht ſich von ſich &c: Sed omninò, ut ſunt res humanæ, quam maxi-

mè

mè in ſciolâ illa conditione, quam ſagacitatem, imò prudentiam & ſapientiam, haberi contendunt mortales inepti, ut majore opus ſit *ſcientia* atque *Sapientia*, ad commonſtrandum, quænam ſit *larvata* & *affectata* ſapientia, quæ ejus *damna*, quomodo proinde cavenda; quam ut directè, tanquam huic gratificando, ſive inveniatur, ſive præſtetur, quod ad hujus palatum atque phantaſiam, quadret.

§. XLIII.

Manifeſtiſſima hæc res eſt, in formando *Conſilio*, quidnam, ſi *Variolæ* patienti cuiquam *ingruere*, videntur, aut ſentiuntur, *faciendum ibi ſit*? Hîc, ſi Medicus ſvadeat, *nulla* Medicina *uti*; fatua illa ſapientia, ut intemperans eſt loquacitatis, præceps etiam eſt ad illud: Wann man nichts brauchen darff/ ſo iſt der Doctor zu nichts nütze. Jejuna ſapientia! imò ſtupida inſcitia, quæ non comprehendat, quanti hoc ſit, perſpectum ſibi reddere, acquirere, & habere, ut verè intelligat, non ſolùm ubi *non opus ſit*, *artificiis uti*; ſed ubi ne quidem *locus* illis pateat, non, inquam, *ſecurum* hoc ſit, ſed *damno* non expoſitum magis, quam planè proximum, imò obnoxium.

§. XLIV.

Ita enim, per veram veritatem, comparatum eſt notoriè, non ſolùm cum pleriſque, ſed omninò ſonticis quibusque ambiguitatibus, quæ generi humano imminent, ut, præ intemperante illa, incompoſitâ, & intempeſtivâ, ſapientiâ, ut communiter maximè neceſſarium, ita omnibus modis arduum atque operoſum ſit, præcipitium, phantaſiarum *abſtinentiam*, incompoſitarum intentionum & inventionum temperantiam, atque circumſpectam maturitatem & ordinationem, deficientium tandem bonorum Conſiliorum, tam fundamentum, quam ſupplementum, invenire æque atque proferre: Imò non tàm ſolum ſvadere, quam perſvadere. Quod certè omnes Cordati intelligunt, qui in fatali illo, inter ſpontè naſcentes res, luxuriante proventu, Conſiliario-

rum, in omni genere rerum humanarum, diſpicere norunt, quantæ operæ ſit æque, atque quantæ dignitatis, utilitatis imò neceſſitatis, occupare, ne, dum *otioſi* eſſe non volunt, *mali* fiant Conſiliarii: Et, quid *intellectûs*, *prudentiæ* atque *vigilantiæ*, requiratur, ad *diſſuadendum* ſuſpecta aut periculoſa *Conſilia*: Nedum *invenienda*, imò peroranda atque inculcanda *ſalutaria*.

§. XLV.

Nequaquam autem temerè, ſive dilabimur in hanc rem notandam, ſive *diffundimur*, ſed aſſevero omninò ſummo jure, Præſes, quod illa ſit hodie facies Medicinæ, (nedum ſciolæ, medicaſtrorum, & muliebris, ſapientiæ, tonſoriæque atque balneatoriæ, levitatis,) circà *pathologiam*, *therapiam*, & *pharmaciam*, ut paſſim, imò ferè quam maximè in ſonticis affectibus, non ſolum tota *dignitate*, & ferè ſemper toto *ordine*, *prior*, ſed etiam, labore atque operâ, *difficilior* longè, ſit Labor, DISSVADERE potius, non ſolùm *intempeſtiva* aut *aliena*, ſed re vera *contraria* atque *noxia*, *Conſilia*. Adeò, ut ne quidem *Conſilii* amplius nudi vim habere debeant, ſed *præcepti*, hujusmodi præſcriptiones, non tam quid poſſit inquam *non fieri*, ſeu omitti: Sed quid *non debeat* fieri; *non poſſit*, inquam, fieri, ſine præſente *periculo*, aut certiore *damno*.

§. XLVI.

Nullum autem profectò majus & illuſtrius hujus rei exemplum eſt, quam affectus noſtræ tractationis. Siquidem ibi, non ſufficit intelligere, ab *experientiâ* ſimplici, quod Natura ſua *ſponte*, hanc ſpeciem corruptelæ expellat: Sed adhibenda omninò eſt prudens *ratio*, quæ admoneat, quod ſponte *Currentem impellere*, cœptum ſit, nulli eventui propiùs, quam *lapſui*. Tunc autem demum vigilantior atque oculatior, ſolertis, ſollicitæ, magis *verè medicæ experientiæ* obſervatio, neceſſaria eſt, quæ confirmet, quam ægrè & impatienter, hujusmodi *intempeſtiva* officia, ſeu

potius

potius *importunas perturbationes*, ferat Natura; quam vel magis *tergiverſetur*, totis erumpendi, & ordinatos progreſſus proſequendi, actibus, motibus & directionibus: Aut præmaturè & veluti ferociter, *commovendo*, citò quidem exturbet, ſed citò etiam veluti *reſorbeat*, ut vago exeundi & *retrocedendi* proceſſu, ſtatim omnia difficiliora, mox autem vix non certò funeſta, ſuccedant: aut *copiâ*, tam abundante, imò nimia, excretio hæc luxuriet, ut nimiò difficilior, & inde omnibus modis *periculoſior*, atque anxiè intolerabilior, ſuccedat reliqui decurſus, imprimis in *Variolis*, ſuppuratorio-inflammatorii, dolor atque labor: quin nimio faciliùs atque certiùs, *funeſtus* eventus.

§. XLVII.

Neque verò in eo ſubſiſtit, *Medicum*, ſepoſitâ aliâ arte, *Conſilium*, ut etiam in his affectibus ſimpliciter *diſſvadeat*, ne *artificia* applicentur; ſed potiùs *ſpontaneis* ſucceſſibus res relinquatur: ſed habet etiam hic omninò, quod AGENDUM ſvadeat: aut ad minimum aliud, quam ſimpliciter *artificioſum*, nempè *pharmaceuticum*, adhuc *cavendum*. Enim verò deteſtanda illa rerum omnium *confuſio*, quam minimum certè tolerari deberet in *Medicina*, quæ etiam hoc huic ingerit, ut *therapia* atque *pharmacia*, improvidè inter ſe commiſceantur, potiùs, quam connectantur, (imò ſubordinentur) uti decet, ut vix menti relinquatur *diſcretio* illa, quod *therapia*, ut vulgò loquuntur, in *methodo* conſiſtat; planius fortè, in *regimine*, nempe *quid*, *quando*, *quantum*, agendum ſit? Tunc autem demum ſeorſim reſpiciat ad *pharmaciam*, quibus *mediis* hoc peragi debeat. Imò neque hoc ipſum ad *pharmaciam* ſtrictè dictam, ſed multum adhuc præſidii inveniat, in longè *ſimplicioribus*, imò œconomiæ corporis ipſis *inſitis*, *energiis*, ſaltem ad *methodum* revocandis, (aut ne *turbentur*, aſſerendis atque protegendis) pro ſcopi inquam exigentia gubernandis.

XLIIX. Hu-

§. XLIIX.

Hujus cenſûs ſunt, in noſtro negotio, ſequentia Conſilia, *regiminum*, ſeu *methodi* laudandæ atque inculcandæ. Primo omnium loco, ut non magis patientes, quam *aſſiſtentes*, de illis ſolliciti, moneantur, habere eruptionem harum corruptelarum, *moras* ſuas, imò *horas*; *antè* & *citrà* quas, ut nihil *legitimè* exſpectandum, ita nihil temerè & immaturè *irritandum*, & *importunè* efflagitandum, eſſe. Unde, quantò melior & *ordinatior* progreſſus optetur, tantò patientior ejus *apparatuum* exſpectatio eſſe debeat.

§. XLIX.

Secundò, pro hujus itaque *legitimi* eventus promotione, verè conveniente, *inutilem*, imò *abuſu noxiam*, fore, *nimis* calidam, nedum tanquam ad *ſudandum*, etiam ſine ulterioribus intrò aſſumptis, quaſi *coactam*, arbitrariam diſpoſitionem, atque injunctam patienti harum rerum *neceſſitatem*. Sed definiet, ſuffecturam omninò hic eſſe, talem *temperantiam*, quæ ſolùm ſenſibilem *refrigeratoriam* corporis alterationem *excludat*; imò hoc ipſo more atque Conſilio, interdicet etiam, à, nimis temerario potiùs, quam ſecuro, *neglectu*, cujuslibet intemperantiæ, circà liberum horridulum aërem, pro ſenſibilitate maximè individuorum.

§. L.

Eadem autem ratione, omnem temperantiam ſvadebit, circa *diætam*, cibum inquam, atque potum. Ita, ut *faſtidientibus*, illum tanquam *obtrudi*, minimè *conſentiat*, ne dum ſvadeat: *Appetentibus* etiam, nequaquam ſubtrahat: *Simplicem* autem omninò potius, quotidianum, quam palati ſolùm lenocinio gratum, nutritivò autem effectu minus, ſed potiùs promptius corruptivo, genio, fortè conſpicuum.

§. LI.

Porrò, quando jam apud aliquos patientes, imprimis reliquis etiam rebus planioribus apparentibus, eruptio ipſa fit; monebit utiliter, etiam huic magis patienter indulgendum,

dum, & ſucceſſum ejus tolerandum eſſe; quam ut tunc etiam, nec ipſo etiam *externo regimine*, nedum *internis*, ſangvinem ſenſibiliter commoventibus, *citò* abſolvere totum eruptionis negotium, in animum inducat, ſive æger ſive aſſiſtentium ſuaſorum Chorus.

L. II.

Eandem moderatiſſimam continentiam, ſvadebit continuandam, per totum reliquum tempus: Securus, modo nihil in his erretur, ſed ſimpliciter Naturæ ſuus progreſſus & proceſſus, ſive juxta uſitatam phraſin, *Naturæ ſibi*, relinquatur, & temperans de reliquo diæta obſervetur, omnia rectè prorſus & ordine ad ſalutem, ideoque omninò ad votum, exitura.

§. LIII.

Fieri autem minimè poteſt, tam varii, non ſolum nominis atque tituli ſatagentes, Medici, ac alii, non quidem prorſus ineptam illam, & quidem tanquam in genere, quæſtionem, objiciant, *an igitur Medicinæ ad hos affectus* (in univerſum) *nullus usquam ſit* uſus? ſed prudenter intelligentes atque agnoſcentes, quod nos omninò loquamur de *ſimplici* variolacea & morbilloſa conſtitutione: eoque ſenſu etiam, cum grano ſalis intellectam, hanc quæſtionem, à nobis affirmari, non admirentur aut indignentur: Interim autem differentem utique aliam nobis proponant. Nempe, ſepoſitâ, ſeu potius conceſsâ noſtra aſſertione, quod *variolis & morbillis, quà talibus, in ſe* ſpectatis, etiam *in univerſum, nec opus ſit ulla arte externa*, nec *uſus*: bono jure interrogandum cenſebunt, an ergò etiam nihil *poſſit*, & proinde *debeat*, *ars*, concurrere atque opitulari, in *heteroclitis* caſibus, individualibus; ubi non ampliùs nudam ſui conſiderationem, & proinde etiam liberum proceſſum & decurſum, ſervare poſſint hi affectus: ſed implicitum quiddam atque turbulentum, alibi minentur, alibi oſtendant, imo jam exhibeant?

§. LIV.

Meretur autem hæc quæſtio non tantum omni modo reſponſionem, ſed & maximè juſtam penitus, diſtinctam inquam, & undique rectè declaratam. Ne tamen, (quod aliquando querelæ materiam præbet,) præmittendo ipſas *ſuppoſitiones*, ceu confundere, reſponſionem ipſam exſpectantes, ſe ſe poſſint, reſervabimus illas ipſi deductioni, neque plus quam nudam unam *diſtinctionem* præmittemus, momentum ingens toti negotio omninò adjicientem. Nempe, obtingit ſtatus, de quo loquitur quæſtio, *duobus* maximè modis: Ut nempe hi affectus non *ſimplicem* adeoque *ſibi conſtantem*, ſed *turbulentam*, indolem adſciſcant. *Primò*, dum à *prægreſſis, individualibus* inconditis prædiſpoſitionibus, tantum incommodi, *impedimenti*, imò vitioſi *ſuperpondii*, ipſis accreſcit, ut inde liberam, & ingenuam, verè *propriam*, ſui methodum procedendi & exeundi, aſſequi non poſſint. *Secundò* verò, evenit ipſis hujusmodi perturbatio, ingenuæ ſuæ, ſimplicis, propriæ, indolis, ab ipſis demum *intercurrentibus*, ſeu denuò *objectis*, non tam materialibus, aut *corporeo-organicis* tantum; ſed maximè commotionum ipſarum, earumque ordinatæ atque moderatæ proſecutionis, intempeſtiva, & maximè aliena, *interpellatione* atque diſtractione. Cui ultimæ rei, cum intempeſtiva illa artis ſe ſe ingerentis, &, tanquam neceſſariam, inferentis magis quam offerentis, intemperantia, ut certiſſimam ita promptiſſimam occaſionem, imò verò totam formam, conciliare poſſit: eget proinde maximoperè hæc quæſtio, circumſpectiſſimo *uſu* hujus *limitationis*, ne imaginario intempeſtivo metu, *facilè*, præſupponatur magis, quam verè judicetur, hujusmodi *ſtatus adeſſe*, in quo arte verè *opus ſit* auxiliatrice. Cui rei, ut tanquam practicè, nempè re vera *ad praxin* clinicam omnibus modis pertinente, circumſcriptione, ſatis faciamus, adeoque quæſtionem mox ab initio in eos limites coërceamus, ne ſummæ negotii præjudicium in commoda juſta generalio-

re

re ſui acceptione objiciat, monemus diſertis verbis, & præcavendo occurrimus ſtatim toti quæſtioni, edicentes, quod *conſtitutio illa*, de qua *quæſtio* loquitur, *ex ſe*, & citra ipſius perverſæ *artis* concurſum, ſit res *oppidò* ſatis *rara*.

§. LV.

Hæc theſis, ne pro affectatâ fortè aliqua autoritate, aut *ſingularis* tantum experientiæ ſpecie prætexendâ, ita proferri cenſeatur; dabo ſtatim documentum verum, ita planiſſimum, ut ab omnibus hominibus ſtatim percipi poſſit. Siſto, inquam, totam multitudinem mortalium, plebejorum atque urbanorum, mechanico-operariæ conditionis: Plus dico, omnium, quicunque ſine ſatis nota valetudinis reliquæ labe prægreſſa, his affectibus corripiuntur, aut (à memoriali adhuc tempore) correpti ſunt, &, citra imploratum *medico-pharmaceuticæ* artis auxilium, aut temerè tentata externa ſubſidia, affectus hos ſuperaverunt. Puto quemlibet intellecturum eſſe, quanto intervallo numerus hic transſcendat, eorum numerum, qui medica ope uti, vel hodie, in tanta Medicorum copia, & ſe ſe ingerendi curioſitate, neceſſarium ducunt, nedum olim, (ſub minore numero Medicorum, & propemodum majore eruditione practicâ,) facere ſoliti ſunt. Iis autem, qui plebi non ita apertam, ſed ſub eruditionis umbra abſconditam, demonſtrationem exſpectant, dabimus illam in proximè ſuccedentibus, monſtrando, quod quibus etiam medica auxilia offeruntur, illi tamen nullum documentum in contrarium ſuppeditent ſolidum: Ex eo, quod medicatio *pharmaceutica*, *his affectibus*, magis *propriè* atquè *directè*, *verè ſalutaris*, *nusquam detur*.

§. LVI.

Jam verò, ſecundo loco, quando utique caſus ille verè atque certò obtingit, ut *opus* magis, quam ſolum *uſus ſit*, Medico auxilio; manebit adhuc omni omninò modo conſideratu digniſſima illa circumſtantia, an utique labor ille, nempe *laborioſus ſucceſſus* horum affectuum, quos *ars* ita

E 2 ſub-

ſublevare & expedire neceſſe habet, verè tribuendus veniat affectibus his ſimpliciter, directè *in ſe* conſideratis; adeoque hi verè ſint mali moris horum ipſorum fructus? an verò illis quidem ipſis *in ſe*, verè atque meritò imputari NON poſſit aut debeat; ſed dependeat ſolùm ab aliis, *præcurrentibus* & *concurrentibus*, aliis, alterius inquam generis, malis diſpoſitionibus, aut morbidis *diſcraſiis*?

§. LVII.

Ne verò, quod ſtupidis aliquibus videri ſolet, ſuperfluæ, imò inanis λεπτολογίας ergò, hæc *diſtinctio* allegari putetur, venit utique apprimè notanda ſumma ejus utilitas, quemadmodum ipſi9 rerum harum diverſitatis exquiſitiſſimè luculenta veritas. Nempè ex hac utique diverſa conſideratione, ante omnia illud dignoſcendum ſeſe ſiſtet, quam longè hi affectus abſint, ab illa vulgò tanquam unanimiter ipſis imputatâ, directè *propriâ*, *malignitate*, & ſummo *periculo*: i. e. quàm rariſſimè, ſi quidem unquam, hi affectus, *ex & per ſe*, ita perperam ſuccedant, ut illis *neceſſè* ſit, ſuccurrere per medicamenta, *malignitati internæ*, *ſimplici*, & *directæ*, ſive verè, ſive per opinionem, adverſa. Iterum dico, quam *rariſſimè* hi affectus, ex ſua propria natura, ita ſe ſe gerant, ut medicam opem efflagitent. Et quòd hujus proximum, & velut inſeparabile conſectarium eſt, an ita Medico competere, nedum incumbere poſſit, *neceſſitas* illa, imò ulla vera *utilitas*, plus dico, ſolùm tuta & indemnis *ſecuritas*, quicquam hic audendi aut moliendi, quod *directè* affectus hos ipſos concernat.

§. LIIX.

Si vero impeditus ille, & laborioſior, ſucceſſus, non tam verè ab his ipſis affectibus, eorumque propria culpa, ſed ab aliis, quomodocunque tandem ſive *præcedentibus*, ſive *concurrentibus*, ſive *intercurrentibus*, morbidis affectibus dependet, quid uſquam alienum eſſe poterit, à *rationali* praxi, ſi hoc non fuerit, morbi *propriam malignitatem*, non

ſolùm

ſolum accuſare, ſed planè, *inanibus* artificiis, tractare & corrigere velle, ubi tamen nulla ejus ſubſit PROPRIA culpa: Non autem potius iſta, & quidem *directè*, & quam maximè *propriè*, *acceſſoria*, *aliena*, incommoda atque damna, artis ſubſidiis aggredi, quæ demum ſua interceſſione & *concurſu*, tranquillum aliàs, & nulla, per ſe, peregrina ope indigentem, juſtum progreſſum horum ipſorum, de quibus ſermo eſt, affectuum temerè perturbare, & in transverſum agere.

§. LIX.

Quam rem tantò faciliorem conceptui reddet, velut exemplo ipſo, contemplationi oblata, diverſorum *reſpectuum*, in toto hoc negotio commendanda, juſta penſitatio. Ita enim *exitum tempeſtivum*, nempe *legitimum*, Variolarum, verè *per ſe* & *proprio* vitio, plurimum tergiverſari atque moras nectere, ex eo minimè fidem meretur; quod nunquam eventurus ſit ille caſus, ut *omnes* & *ſinguli*, qui, toto illo tempore, corripiuntur, ita *tardum* & *cunctantem* exitum hunc experiantur: aut, ſi quid tale fortè apparet fieri, nequaquam tamen deprehendetur, quod propterea æqualiter, apud omnes atque ſingulos, illa periodo hujus graſſationis decumbentes, conſpicuum *periculum* felicis eventus inſectetur: quin, ſcilicet, quam plurimi, quibus etiam ita *ſegniùs* exanthemata tunc exeunt, nihilo propterea *infeliciùs*, toto morbo perfungantur, dummodo patienter atque circumſpectè, *moræ* ejus, morem geſſerint, & nihil temerè *turbaverint*, præſenti mori affectus, quem hâc tali ſegniore, certæ conſtitutionis temporariæ, periodo, exhibet, temerè adverſum.

§. LX.

Quando verò etiam ex ipſa *paucitate*, & apertius diſtinctâ individuali *diverſitate*, (*phyſica*, *civili*, *morali*) patientium, præ reliquis *numeroſis*, talem v. g. cunctationem incurrentibus, propemodum digito intento, indicatur, *extraneus* concurſus aliarum cauſarum, v. g. *aëris* juſto frigidio-

 ris,

ris, aut aliundè ſenſibilis cujusdam *diſcraſiæ*, ſeu malæ qualitatis humorum: aut *quantitatis* ſanguinis floridi admodum notabilis exceſſus, aut temporarium malum *regimen* patientis: In talibus certè caſibus, abſurdum neceſſario habendum erit, non *remotis* hujusmodi obſtaculis, tamen directè & ſimpliciter, ipſam *eruptionem* augere & *impellere* velle: Non pro tota dignitate ſatis perveſtigatis, & propriè atque directè occupatis, ablatis, aut ſubactis, his ipſis rebus, quæ Variolarum juſto progreſſui obicem ita opponunt.

§. LXI.

Ubi ſcilicet hæ duæ conſiderationes nequaquam ſimpliciter *ſpeculativæ*, ſed totæ certè *practicæ* ſunt: *primò*, quomodo utique verè ſatisfacere liceat, non tam ipſi *morbo*, quam *remoris*, his juſtum ejus ordinatum progreſſum obturbantibus; *ſecundò*, quomodo, præterea, his talibus, per talia medicamenta, & tali methodo, decenter conſuli poſſit, ut illa quidem *ſecundaria* & *accidentalia*, *impedimenta* corrigantur & auferantur: Nequaquam autem eo ipſo quicquam detrahatur, juſto atque ordinatiſſimo ſucceſſui, affectuum de quibus nobis ſermo eſt *primariorum*.

§. LXII.

Minimè dubitamus, quin multi quotidianæ praxeos ignari, otioſas reputare poſſint has noſtras diſtinctiones; nedum illarum tam operoſam & prolixam deductionem: non credituri nempe, quod harum rerum neglectus, apud eos locum invenire poſſit, qui artem, habitum cum rectâ ratione effectivum, exercere, videri volunt. Sed, cum publicè antè oculos jaceant, tanquam unanimes illæ tres opiniones; (1) quod his affectibus tanquam *ſimpliciter malignis*, debeantur remedia etiam generaliter *alexipharmaca*; (2) quod adhuc planè *ſpeciales*, horum propriæ ac determinatæ malignitati ſeu *venenoſitati* reſiſtentes, *materiæ medicæ*, non ſolum *dentur*, ſed etiam uſurpari mereantur, imò *debeant*; id eſt, non ſolum *innoxiæ*, ſed *utiles*, imò *neceſſariæ*, & nullo

horum

horum reſpectuum omittendæ, exiſtant. (3) quod, comparentibus difficultatibus per individua, ad hæc maximè *talia* recurrere, & omnem ſpem in illis collocare, non juſtum ſolum, ſed & *neceſſarium* ſit.

§. LXIII.

Ubi deinde, præter hæc omnia, perpendatur, quibusnam modis atque mediis hæ intentiones in effectum deducendæ putentur; non poteſt non, unâ eademque operâ, etiam illud diluceſcere, quod pleraque talium, ſi non *neceſſaria* verè, eſſe ſentiantur, longè certius *perturbando*, proprio atque ſimplici genio affectus, idonea ſint? Cum enim, etiam attentiores de ipſo vulgo, hoc jam paſſim compertum habeant, quod etiam nudum *regimen* intemperanter calidum, nedum ſimul præceps atque *præmaturum*, *damno* proximum ſit; quid non intelligendum veniet, de talibus *intrò* aſſumendis, quæ *tenuiter* æque, atque *potenter*, & præterea certè *intimè*, efficere valeant illud, quod *regimen* inconditum, certè langvidiùs, perpetret. Ubi in ſpecie, tam reliqua *calidiora*, quam ipſa *myrrha*, non poſſunt ab hac periculoſa efficacia excuſari.

§. LXIV.

Melius autem certè omni modo agunt illi, qui, ſi quæ ſubeſſe meritò arguuntur difficultates, plani atque liberi ſucceſſus excretionum talium, tam animum quam medicamenta dirigunt, potiùs ad illa ipſa *obſtacula*, quæ ſuo *concurſu* huic periculo fomitem præbent, aut materiam. Et, hoc intuitu, partim ſimplicibus *abſorbentibus*, & leniſſimè *diapnoicis*, inſiſtunt: partim opportunis *ſubtractionibus* hujusmodi rerum invigilant. Ubi certè hoc ipſum noſtræ tractationis negotium, mirum quàm luculentum offert ſpecimen imbecillitatis ſapientiæ humanæ. Dum nempe hodiernæ opiniones medicæ, adeò totæ ſunt potius in *humorum materialibus* vitiis corrigendis, cum pauco & oppidò raro reſpectu, ad Naturæ congruam potius *evacuationem* talium vitiorum

rum & corruptelarum; ita in hoc maxime caſu, in quo non per exemplorum decades, ſed totas *myriades*, probare atque demonſtrare licet, quod motus expulſorii, ſi modo *impedimenta* aufferantur, *ſponte*, rectiſſimè, & quantum usquam ſatis eſt, ſuccedant: Imo quascunque *incitationes* atque ſtimulos ægerrimè ferant: Tamen in mentem veniat, *ordine* penitùs *inverſo* procedere, non, inquam, *correctioni* materiarum, *alienarum* dico, operam dare: & quidem per illa remedia, quæ imprimis recentiores obſervationes dignitati non contemnendæ aſſeruerunt, (abſtrahendo ab intemperantibus, alienis, & præpoſteris abuſibus) nempe *abſorbendi*, & ſano ſenſu præcipitandi, efficaciâ: Sed hîc potiùs expulſoriæ *evacuationi*, ita incumbere malint, ut etiam remedia, ſub qualicunque alio prætextu, certè ſimul certò *exagitatoria* ſangvinis, & quæ aliàs vocant *poſitivè diaphoretica*, præ aliis hic eligere, nihil dubitent. Cœterum autem etiam, in qualicunque recordatione, ſolennis illius *recentis* moris *correctorii*, plus ad minimum, ſi non planè unicè, intentiones ſuas dirigant, ad illud *corrigendum*, quod *ſibi conſtans* & ſincerè *ſibi relictum*, tanta ſollicitudine non indigere, longè maxima pars mortalium, perpetuò exemplo ſuo, teſtatum reddit: minimum omnium autem ad illa, quæ adverſo ſuo *concurſu*, iſtud ipſum demum exacerbare, atque periculoſum reddere, ut poſſit, ita etiam ſoleat.

§. LXV.

Eſt itaque, inquam, vera intentio *Therapeutica*, *Variolis* & *Morbillis*, *non rectè ſuccedentibus*, ſuccurrendi, ad illud unum, certè præcipuum, dirigenda, ut illis potius rebus ſatisfiat, quæ, alienæ atque *adventitiæ*, bonum proprium ordinem & progreſſum ita turbant. Non autem propriæ cuicunque *malitiæ* variolarum atque morbillorum, in & per ſe conſideratorum.

§. LXVI.

Iterum, inquam, iterumque monemus, & perſpicaci-

omninò

omninò penſitationi commendamus, nequaquam levis atque ſuperficiariæ notæ, hanc æſtimationem *Therapeuticam*, quod non tam ad ipſas *Variolas* & *morbillos*, nec ad illos ut *ex ſe* laborantes, convertendus imprimis ſit animus: ſed ad illa, quæ in culpâ eſſe poſſunt, quamobrem hæc exanthemata, *ſibi proprium* juſtum atque facilem ſucceſſum, aſſequi non valeant. Ut hoc ipſum ita omninò agendum recordemur, ne dictis affectibus *in ſe*, Variolis & Morbillis, quicquam *ſtimuli* objiciatur, ſive ad *expulſionem* directi, imprimis vegetam, *copioſam*, *concitatam*: ſive ad *humores* temerè exagitandos: ſub opinione aut prætextu *malignitatis* atque *venenoſitatis*, per *alexipharmaca calidiora* expugnandæ. Iterum, inquam, iterumque, monemus, atque cohortamur, verè æſtimare atque cordi habere hanc diſtinctionem, ejusque uſum, tot modis digniſſimum: quandoquidem aberratio in hoc genere, non ſolum nihil boni efficit, & poſt ſe ſe trahit: ſed omninò certis damnis proxima, imò ſubinde expoſita, eſt.

§. LXVII.

Ut hoc ulterius, ipſis exemplis declaremus, dicemus aliquid de *Remediis*, vulgò huic ſcopo, partim malè, partim benè, adhiberi ſolitis. Quæ, velut uno ore à Vulgo Practicorum, adverſus pericula Variolarum atque morbillorum laudantur, ſunt ante omnia ipſa ALEXIPHARMACA. Horum autem tanquam certiora atque præſentiora, cum conjunctam habeant efficaciam inſignem, *concalefaciendi* atque *turgefaciendi* ſangvinem, unde vulgò etiam *ſudorifera poſitiva* vocantur; quam parum in his affectibus, ut nullâ inſigni commotione indigentibus, ita ejusdem temerè ſubeundæ impatientiſſimis, loci haberi mereantur, facile eſt judicare.

§. LXIIX.

Secundi ordinis, ſunt medicamenta *alexipharmaca*, (*privativè ſudorifera* ſimul pleraque habita,) de *fixiorum* cenſu. *C. C.* & *Ebur*, *cum* & *ſine igne*, *Unic. Ver.*; aut, quibus per trivia hodie nota hujus *falſitas* in mentem venit, *ma-*

 rin.

rin' Bezoard. min. imò *ſolare*; *Ocul. canc. Matr. perlar.* & ſi quæ ſunt alia hujus furfuris. De qualibus quidem, uti meritò pudet prolixius arguere, quàm nullis, nedum vanis ac incertis, fundamentis innitantur, & quàm publicè nuditatem ſuam detegant, quot quot frivola illa nomina, his talibus quibusdam rebus impoſita, temeraria credulitate, nedum impudentibus commentariis, & malæ fidei commendationibus, adversùs VENENA laudant: Certè etiam in eo potiſſimum, quod ſudori ciendo conferre creduntur, plurimum innituntur *regimini*, in iis, qui non ſpontè ſatis facilè ſudant, neceſſario *cogendo*. Jam quod tandem, *peregrina* æque, ac *noſtratia* aliqua, *alexipharmacis* uſibus dicare, partim conſvetudo, partim allegata experientia, perſvadet; v. g. *Contrajerv.*, *Serpentar. Virgin.*, *Scorzon.*, *Vincetox. Lap. Bezoard.* &c. ſi quis maximè illorum eſſet efficax uſus (quod tamen per manifeſta experimenta demonſtrare, magis certè quam quisquam facilè credat, foret arduum) manet tamen firma, præjudicialis illa, ut loquuntur, quæſtio: An utique hujus generis *malignitas venenata*, in his morbis ineſſe poſſit, nedum ſoleat?

§. LXIX.

Unde nempè potius tranſitum ſimpliciter facimus, ad illa, quæ *ſpeciali* horum, *quà talium*, affectuum *malignitati* atque *venenoſitati* deſtinari ſolent. Sunt talia plerumque tota inania, quamvis etiam aliqua, ut *lentes*, & fortè etiam *ciceres*, *ſignaturæ* innitantur *Variolarum* atque *morbillorum*. Quis enim fabulis illis aurem præbeat, quod ê *Mercurio vitæ*, (pari vanitate, & totidem, quot vocabula ſunt, mendaciis ita dicto,) ſimplici colliquatione cum *nitro*, naſcatur medicamentum, præter alias dotes, etiam *ſpecificè* Variolis ſuperandis idoneum? (aut ê *Corona* (ſcholarum, non venatorum ſignificatu) *C. C.*, ſed *philoſophicè*, nempè in *culinâ*, præparato, idem eveniat? Aut è *floribus Aquileg.*, per phlegma Vitrioli, lotura eliciatur, non ſolùm carnium loturæ antefe-

ren-

renda, ſed etiam horum exanthematum tyrannus: & quæ ſimiles ſunt næniæ, decipiendis hominibus excogitatæ.

§. LXX.

Omnia, inquam, hæc, niſi quidem tota in ſe quoque, aut certè maximam partem, ſubleſtæ, imò nullius, ſunt fidei, fruſtra certè ad noſtros ſcopos deſtinantur. Ubi imprimis de ullius medicamenti, ita vulgò ſpecificæ efficaciæ nomine laudati, vana & falſa commendatione, nullum majus & ſimplicius argumentum proferri poteſt, præter illud, quod in tanto, & certè immenſo humanitùs, numero, his affectibus correptorum, occaſio utique ſuppeteret, ſpecimine ipſo hoc commonſtrandi; nempe ullo aliquo tali remedio, ſive morbum inſultantem planè ſubjugandi, ut exitum non inveniat; ſed in herba imò in germine iterum opprimeretur: aut, ad minimum, ſucceſſum, & tandem exitum ſuum, ſub tanta *libertate*, & conſpicuâ *ſecuritate*, aſſequeretur, ut nulla *cautione* notabili, ampliùs opus eſſet. Cum autem contrarium omninò fiat, & nihil talium rerum, quicquam laudabilis eventus conſequatur, niſi omnes iſtæ *cautiones* obſervatæ ſint, quæ etiam ſine ullis, nedum his tam inſignibus, medicamentis, decenter obſervatæ, felicem eventum nihilò ſecius optimè ſuffulciunt: (ne dum quod multa millia hominum, non ſolùm ſine illis *ſpecificis* remediis, ſed inſuper etiam ſub horum reliquorum ſubſidiorum ſatis negligente obſervatione, tamen feliciùs, *quàm ſub talium uſu*, ſanentur.) Hæc, qui animo complectitur, comprehendet hinc facile, niſi quidem prorſus obeſæ ſit naris, quomodo dignitatem ſuam hæc artificia tueantur.

§. LXXI.

Quod autem porrò *expulſioni* promovendæ aliqua *remedia* dicantur, *emulſiva* imprimis ſemina, *Aquilegiæ*, *Napi* & *raparum*, *Naſturt.*, *Card. Mariæ*, uti prorſus improbare non ſuſcipimus; ita tamen, quod vel inſigni poteſtate & efficaciâ hic polleant; vel ut plurimum, ne dum ſemper *neceſ-*

 ſari-

ſarius ſit, illorum uſus, ita, ut absque ſimilibus, Variolæ aut morbilli non ſatis commodè atque liberè excludi poſſint: id verò meritò negamus. De *lentium* autem, *Cicer.*, imò *gran: ficuum*, juſculis, in morbillis, uti nemo ſerius effatu dignum *ſpecialem* uſum exſpectaverit; ita *Myrrhæ* bonæ ſeu rubræ efficacia, in quantum *ſpecifica* habetur, etiam ridicula eſt in eo, quod *verminoſæ* colluviei, (quam ad minimum potiùs pro *producto* quàm *cauſa* Variolarum habere, ſano cerebro dignius eſſet,) in toto corpore luxurianti, enecandæ, ſufficere fingatur. Cum tamen etiam ipſi tales Poëtæ, non magnopere contendant, quod paulò auctiores doſes *myrrhæ*, propter graves exagitationes ſanguinis, neceſſariò hîc vitandæ veniant.

§. LXXII.

Enim verò, cum neque *neceſſaria* affectibus his, *directè* & *in ſe* ſpectatis, neque ſatis etiam *vera*, ſuppetant remedia, tanquam media; nihil aliud ſupereſt, niſi ut diſpiciamus de illis *methodis* atque *mediis*, quæ *malè ſuccedentibus* his affectibus, utiliter opponuntur. Sunt autem ejus ordinis, ut, primò, materias *evacuent*; alia verò, ſecundò, illas *ſubducant* & eliminent. *Prioris* cenſus, quibus fidere liceat, ſunt imprimis *abſorbentia*. Ubi ego Præſes præcipuè laudare ſoleo *Oſtracodermata* potiùs, quàm *mineralia* terrea, v. g. Ocul. Canc., Matr. perlar., Conch. noſtrat: Imò, ſit ita, C. C. ſive coctum, ſive aſſum, &c. Interim nihil horum omnium temerè, nimis *largiter* offerri, usquam probamus, præſertim ubi appetitus langvet. Sed potius *repetitis*, quam ſigillatim *largis*, doſibus.

§. LXXIII.

Quemadmodum autem hæc talis medicatio, manifeſtò magis reſpicit *accidentales*, per individua, dyſcraſias, ſeroſas, ſalinas, tàm in primis viis, quam altiùs in maſſa humorum; ita venit omninò memoranda, *altera* adhuc methodus, *ſecundariis* hujusmodi & *accidentalibus*, cauſis deterioris ſucceſ-

ſus

ſus horum exanthematum, præoccupandis atque ſubducendis, peculiari felicitate, jam à ſatis longo tempore dicata, imò feliciſſimè adhibita, à Medico, doctè dexterrimo æque, ac honoribus atque munere primarii Archiatri Regii Illuſtri, Tit. Domino GUNDELSHEIMERO, quem honoris cauſa nominamus. Exhibet nempè iis, qui Variolis & morbillis afficiuntur, alternis diebus, medicamentum *Emetico-Catharcticum*, è *Tart. Emet.* bono, & ad vomitum provocandum ſufficiente qualitate atque quantitate: & è *Mannâ Calabrinâ*, ea quantitate quâ alvum laxare etiam ipſa ſufficiat. Sub hujus autem remedii uſu, alia artificia eousque ſeponit, imò excludit, ut etiam vel paulò exactiorem, exquiſito ſenſu vocis, nempè *exigendam* ſeu injungendam, *concalefactionem*, ſeu *regimen* calidum, nedum ſudoriferum, non probet; ſed potiùs, ad tolerantiam orthoſtadios, & in puro conclavis aëre temperato verſantes ægros, magis quam lectis intruſos atque coopertos eſſe, malit: Cum ita temperatiſſimo moderamine, ut magis anxium concluſorum conclavium ſegnem aërem, prudente commercio liberæ auræ admiſſæ, temperare non dubitet. Hac medicatione ita per plures dies alternos continuata, aſſequitur tàm decurſum quàm exitum horum exanthematum, adeò ſimplicem atque ordinatum, ut patientes communiter orthoſtadiâ, (modò intemperantia abſit) prudenter uti & gaudere poſſint; & omnia ita ſine ullis incommodis, rectiſſimè procedant atque decedant.

§. LXXIV.

Dixi autem, quod hac methodo præcipuè *accidentalibus* impedimentis atque perturbationibus, plani in ſe, atque benè morati ſucceſſus, his affectibus ſibi relictis proprii, conſulatur: Non autem æque ipſis *in ſe*, & cuicunque *proprio* illorum genio, ſive ut Schola Medica loquitur, ſive bono, ſive malo, *mori*. Loquitur hoc ipſa hiſtoria decurſus, ita tractatorum horum affectuum. Manet enim omninò quicquid ipſis propriè competit, *comparent* exanthemata; *exeunt*, non

æque perpetuò ita *pauciora*, ut etiam hac in parte *ipſi* huic *affectui* aliquid reverà detractum eſſe, certum haberi debeat. [Niſi, quod nullam utique occaſionem *accidentalis abundantioris* commotionis præbendo, ſæpius fortè, quam inter alias methodos & regimina, *copiam* exanthematum ordinariè augentia, parcior paulò exanthematum proventus hinc obſervetur.] Præterea nulla hinc, ab hac inquam methodo inſolita facies, tam plenæ *eruptionis*, quam *maturationis*, *ruptionis*, *deſiccationis*, *ſanationis*. Nihil citiùs, nihil tardiùs, quam in omnibus his rebus, ſibi ipſis ſolis, in optimâ diſpoſitione reliquia, ut perfectè *relictis*, ita *perfectè conſtantibus*.

§. LXXV.

E quibus utique circumſtantiis, ut nihil manifeſtius dilúceſcit, quàm, quod non *ipſi morbo* quicquam peculiare hinc eveniat, quod *directo* ipſius genio aliquid detrahat; ita nihil aliud reſtat, præter illud unum, quod hac etiam methodo, *impedimentis* ſolum illis occurratur, quæ bonum progreſſum & exitum *intervertere* poſſent, aut facile ſolerent. Ne tamen etiam hæc efficacia ita ſalutaris, hujus methodi, *ſolidâ*, ne dum *omni*, *dogmatica* ratione deſtitui videatur, & odioſo ſenſu *empirica*, anceps, ac ambigua, reputetur, placet omninò breviter commonſtrare, quo intuitu, imò quo effectu, illa, hujus energiæ compos exiſtat. Primarum viarum recrementa, uti nemo peritus à ſolis *aſſumptis* deduxerit, quin ingentem partem *bilioſo-mucoſis* apoſpasmatibus feri *excrementii* deberi, recordetur; ita certè hæc methodus, quæ hujus generis ſordes, de tempore in tempus, ſubtrahit & exonerat, quid aliud facit, quam quod conſpicuam etiam, nedum ſanam, rationem ſequatur. Accedit autem, (quod eorum gratia, qui rationem non tam ſequi amant, quam cœco impetu in qualescunque phaſes ferri atque ruere conſveverunt, *cautelæ* loco memorandum venit,) quod laudatus Artifex prudentiſſimus, nihil hic indulgeat,

geat, uſitato hodie pandemio malo mori, *ſine diſcrimine* aut *ſelectu*, quidlibet à quolibet exſpectandi; unde nequaquam ſubſcribit, illi, qui viget hodie, mos, (imò perverſæ, ab imperitiâ, opinioni, quod Præſes moneo,) quaſi ad evacuationes inſtruendas, nullo opus ſit *ſelectu* medicamentorum; ſed ſingula æque ut omnia, ſimplici *ſtimulandi* oeſtro inteſtinis ſtricturam illam incutiant: Sed prohibet ille, non magis ſolùm ſcienter, quam omninò prudenter, ne utique temerè ullum aliud *laxans* aut *purgans*, hic in uſum trahatur, quàm *Manna* aut *Caſſia*. Quo audito, quilibet prudens reminiſci poterit, quænam diverſitas hic in conſiderationem venire poſſit atque debeat; dum hæc *dulcia*, & imprimis quidem *Manna*, ejusmodi placidam *fermenteſcentiam* ſubire valent, quæ ad *acidulam temperatam* acrimoniam proclivis, non ſolùm *putrilaginoſam* corruptelam antevertere poſſit, ſed etiam *ſuppuratoriæ* indoli potius aliquid commodi præſtare. Dum *acriora*, veriùs *ſtimulantia*, ſimpliciter inconditum quiddam hîc machinantur; & impetuosâ commotione maſſæ humorum, infauſtum illud accidens facilè introducunt, ut motus *exanthematicus*, extrorſum dirigendus, infeliciſſimè ad interiora reflectatur.

§. LXXVI.

Neque minore verò etiam, *rationali* planè, *cautione*, utitur hic laudatus Illuſtris Medicus, dum etiam *emetici* uſum, absque *conſortio* Laxativi, minimè probat. Nempe ut concurrens, & imprimis ita *leniſſima*, *deorſum* ducens efficacia, laborioſiorem conatum vomendi, imò importuniorem, ita omninò infringat. Cœterum quaſi ordinarius ille, tantisper *anxius*, conatus, totum habitum corporis in *conſenſum* quadantenùs vocans, & percellens, *excuſſioni* ad ſuperficiem, *conſervandæ* potius unà velificetur, quam *regurgitationi* ad intimiora. Ubi interim, certè rationabiliter, toto hoc inſtituto, illud utique propriè agitur, ut nihil temerè *provocando* aut *ſtimulando* hic geratur: Et tamen

men ſubtractio repetita præcipuè *birioſo-mucidæ* ſaburræ, cauſam *antecedentem*, quarumlibet *perturbationum*, totius ſucceſſus, præoccupet, ut ita affectus hi ſincerè ſibi relicti, ſuos proceſſus, tranquillè perſequi, & ad exitum ſaluberrimum perducere, poſſint.

§. LXXVII.

Minimè verò ab hac methodo, verè in diverſum abit, illa, quæ per *modeſtum, continuatum*, uſum *abſorbentium*, acrioribus diſcraſiis *bilioſis* tàm *abſorbendo*, quam irretiendo atque *incraſſando*, velificatur. Cum enim non *bilis*, *quà talis*, negotium in corpore inſigne adhuc faceſcat; ſed potius *con-fermentativâ* acrimoniâ *acido-cauſticâ*, in primis viis talia damna machinetur, ad quorum occupationem, potiùs opus ſit *affuſione* humorum, è totâ peripheria, ad *intima* viſcera, quàm ut hæc talis, ſive otioſè tolerari poſſit, adeoque *propulſio ad peripheriam*, nihilò ſecius, tranquillè inſtrui & continuari: Vel, ſi quid etiam de his ipſis corruptelis, altiùs in maſſam humorum unà penetret, illud non graviter turbare poſſet, proprium ſincerum ſucceſſum, tam *expulſionis*, quam ingenuæ *maturationis*, imprimis *variolarum*.

§. LXXVIII.

Concludimus itaque meritò, atque obſignamus, *Therapeutico pharmaceuticam*, *poſitivam* intentionem, commendatione harum methodorum; Quarum illa, quæ per ſola *abſorbentia*, moderatiſſimè data, & *regimen* temperatiſſimum obſervatum, procedit, equidem tranquillior apparet: Et omninò Ego ipſe Præſes, illam communiter ſecutus ſum: De *alterâ* tamen illa, & experientia, non magis *conſtans*, quam admodum *numeroſa*, etiam hoc teſtatur, nec certè compoſita *ratio* diſſuadet, quod potentior ſit, ad *præripiendas* univerſas, tantò magis *importuniores*, ejusmodi *concurrentes*, adverſas atque contrarias cauſas. Sicuti non ſolum ſimplici *rationi* conſentaneum eſt, ſed etiam inſtituto totius *oeconomiæ humanæ*, inſitum prorſus, atque inditum, ut potius ſim-

ſimpliciter directè è corpore *expellatur*, quicquid noxæ inferendæ propius atque aptius eſt: & quidem per *proximam* viam: quam, ut mala ejus qualitas, demum, in corpore, *corrigatur*, & hujus rei *eventus* optatus, tanquam otioſè atque ſecurè, exſpectetur (quod appoſitè Germani noſtri, ab-und aus-warten/ appellant) propter varia, etiam adhuc *ſupervenientia*, atque *incidentia*, incommoda. Unde quidem cuilibet liberum erit, ſub reliquâ debita circumſpectione atque prudente dexteritate, quin concurrentium etiam, *vigoris* atque *roboris* diverſi, circumſtantiarum æſtimatione, hoc, aut illo, ſolo, aut ſubordinato, proceſſu, ſeu methodo tali, uti.

§. LXXIX.

Sicut autem hæc de *poſitivâ* Therapiâ, ita ſentimus, ita *privativam* adhuc ſemel, brevibus perſequi, non tàm utile ſolum, quàm veriùs neceſſarium ducimus. Occupatur autem ea, circà *abſtinentiam*, ſive plenam, ſive moderatam, *primò*, ab omni activo ceu agili atque *alacriori*, concurſu, ad ipſos hos affectus, *directè* & *quà tales*, temerè tentando: non ſolum *medicamentis*, ſangvinem *commovere* aptis; ſed omninò etiam ipſis *regiminibus*, tum, in genere, *calidioribus* nimio & *ſudoriferis*, tùm, in ſpecie, *præmaturis* inſuper. Deinde, ut nuda *vomitoria*; nudæ, & imprimis acres, *ſtimulatoriæ*, *purgationes*: *nimiæ* doſes, atque *repetitiones*, imprimis inſuper *inertiorum*, *abſorbentium*, omittantur. Ut *ſpontaneæ ſtricturæ alvi*, imprimis ubi nulla reliqua in abdomine pathemata ſentiuntur, neque reliquus *ſucceſſus* ipſius affectus, ſenſibiliter vacillare animadvertitur, ſed ſic ſatis benè debitos ſuos mores *ordinatiores* exſequitur, potiùs tolerentur; quàm ullo ſenſibili *ſtimulo* impellantur, ad *repentinas* ſolutiones. Ut omnibus modis, juſta atque debita *menſura* temporis, obſervetur, eique prudenter indulgeatur potiùs, quam ut quicquam, vel in genere, vel in

ſpecie *turbetur*, aut *immaturis* feſtinationibus, certò in pejus conjiciatur. Sicut autem *nimia*, temerè *affectata* induſtria, meritò diſſuadenda hic venit, & quidem non ſimpliciter, ut *inutilis* tantum & ſupervacua, ſed omninò potiùs, ut verè *periculoſa*, imò *noxia*: Ita cavendum tamen etiam eſſe, omninò recordari neceſſe eſt, tum à reliqua nimiâ, & quod agunt *ſupinâ*, negligentia; tum imprimis ab erroneâ illa, etiam pejoribus hodiernis moribus uſitatâ, *indifferente ſecuritate*, quâ ita parvi momenti habeantur, in ordine ad *periculum*, hi affectus, ut propterea non multum dubitandum videatur, an etiam hoc illud audere, ſeu ut vulgò loquuntur, experiri ſeu *tentare* liceat, nec ne. Cum imprimis in ita comparata dubitatione, ſemper ferè pronior ſit indoles humana, ad *temeritatem*, quàm *timiditatem*. Sicut re vera hac ipſa occaſione nequaquam inconveniens fuerit, hanc animadverſionem, prudentiſſimæ practicæ utilitati, imò neceſſitati, commendare, quod equidem *timida* mentis fluctuatio, & firmi atque ſolidi conſilii capiendi, inopia atque impotentia, etiam parum laudis in Medicinâ mereatur, interim damna, ab hoc defectu, tàm in genere, ratione caſuum, & ratione frequentiæ, (ſpecie, & numero) pauciora atque rariora, inveniri poſſint: quàm in ſpecie, in comparatione ad *temeritatem*. Dum, inquam, *temeraria* illa quidlibet audendi, & ut hodie loquuntur, experimentandi, ratione, non ſolùm immenſum quàm *plura*, ſed quam maximè *audaciora*, hujusmodi conamina, paſſim in uſum ducuntur, quibus *ſæpè*, *multum*, & *graviter*, impingi, & ingentia æque, atque numeroſa, damna paſſim induci, totâ die, triſtis experientia, teſtimonium omni exceptione majus, perhibet.

§. LXXX.

Supereſt, ut verbum adhuc proferamus, de *duobus* accidentibus, quorum alterum *novam* quandam praxin parturivit,

vit; alterum *antiquam* difficultatem practicam, in hunc usque diem fovet, eique favet potiùs, quàm ut aliquid melius, & à periculo remotius, non dico *inveniſſet* recentior ætas, ſed ſolum *quærendum* putaſſet. Primum illud, eſt *plethora*. Huic actuali evacuatione ſincera, per ſangvinis miſſionem, ſubveniendum eſſe, non deſunt paſſim, qui u rgeant exemplis imprimis quarundam obſervationum alienarum inducti, quod valdè *tergiverſantes* Variolæ, miſſo ſangvine, citò & alacriter exire, & reliquo ſui decurſu ad votum ſe geſſiſſe, obſervatæ ſint: Quamvis autem minimè contemnenda ſit hæc conſideratio, ne dum obſervatio, ceu teſtimonium experientiæ, *rationi* ſuffragans; eſt tamen utique etiam neceſſe, ut juſtiſſima interponatur diſtinctio illa fundamentalis, quid hîc affectui *in ſe* ipſo, quid verò peculiari tali, non ſolum evidenti, ſed quàm maximè *eminenti*, circumſtantiæ *plethoræ*, per individua, debeatur. Ut ſcilicet fatalis utique illa confuſio evitetur, quaſi talis evacuatio, affectui tali *in ſe*, & conſequenter *ſemper & ubique*, non tàm ſolum conveniret, quàm *utiliſſima*, imò *neceſſaria*, eſſet; nedum ullibi incommodo propior, & facilè obnoxia ſit. Quæ nempe res, quod iterum repetimus, quàm infauſtis conſecutionibus introducendis, par & idonea exiſtat, dignisſimum profectò eſt conſideratu. Nos autem uſum V. S. in *Variolis* & *morbillis*, ne quidem in *adultis*, niſi *eminente* prorſus plethora conſpicuis, unquam *neceſſariam* eſſe agnoſcimus: Faciliùs autem intutam, imprimis ſi *menſura* miſſionis non benè reſpondeat juſtæ intentioni, aut minùs *tempeſtivè* in uſum ducatur: Ne dum alteratio fortè animi inſignis concurrat. At verò qualitercunque *plethoricæ* conſtitutioni, convenire *regimen* tantò magis circumſpectum, à *præcipiti* æque, atque nimis copioſa ſeu *forti*, commotione & concalefactione, remotum, omnino ſentimus, nedum conſentimus.

 LXXXI. Al-

LXXXI.

Alterum dictorum accidentium, inſignem perturbationem toti affectui æque atque ſecuræ, & tamen efficaci, medicationi, objicere compos eſt *Diarrhoea*, ſeu *fluxus alvi*, affectibus his temerè ſuperveniens. Cum enim communis *methodus* æque, atque *pharmacia*, hic nihil aliud quærat, aut paratum inveniat, niſi *cohibitionem*; imprimis per *adſtringentia*, tum etiam *opiata*: *adſtringentium* autem efficacia, facillimè ſe extendat, ultrà primas vias, adeoque interiora corporis: Vix poteſt hujusmodi conſilium in effectum dedui, citrà eximiam periclitationem eventûs, plus quam ſimplici more atque modo ancipitis. Sicut enim *adſtrictio* ipſa dicta, liberæ eruptioni aliquid turbæ objicere valet: Ita nihilò certè longiùs hinc abeſt vulgò creditum huic eventui opponendum præſidium, adſtringentium uſui *regimen diaphoreticum* adjungendi. Quandoquidem hac ipſa intemperantia minimè difficulter effectus *turbulentæ commotionis exanthematicæ* introducitur, *adſtrictorio* concurrenti effectui, plurimum adverſæ, imò contrariæ.

LXXXII.

Habemus autem aliud remedium, quod ſontico huic incommodo, ut ſecundùm ſolidam *rationem*, ita ſecundùm conſtantem *experientiam*, ſatisfaciat. Eſt hoc NITRUM, prudenter, atque temperanter, exhibitum. *Inuſitatum* ajunt remedium; certè: ſed malâ fortunâ, & pejore adhuc more *Periculoſum*, quia nitrum *alvum* non modo *laxare*, ſed planè *ſtimulare*, traditio fert communis: Certè, *communis*: ſed ut ſolet, ἄπρακτος, & tam *phyſicæ* veritati, de *aquis nitroſis* in cereviſia, quàm medicæ *experientiæ* ſolerti, contraria. Non autem ſolùs D. D. Præſes, (licet primus fortè laudaverit, ſchediasmate *de Uſu nitri polychreſto*,) nunc quidem ampliùs neceſsè habet, ſuam hoc loco experientiam, teſtimonii loco allegare; ſed ſunt paſſim Medici, in praxi non ſolum

con-

conſtituti, ſed etiam ſcientiæ atque conſcientiæ ſatagentes, qui ab experimento, hâc de re loqui poſſunt, & inanem illam deciſionem, quod *inuſitatum* ſit remedium, ſimul antiquare: Inter quos honoris gratia nominare poſſum Tit. *D. D. Henrici P. P.* apud nos Celeberr. qui hoc experimentum, multoties, feliciſſimo cum ſucceſſu, imitatus eſt. Cui rei etiam non exiguam lucem affundere poteſt exemplum, quod proximè præterlapſo Vere obtigit, dum puella 14. annorum, quæ jam aliquoties, (inde à primis motibus menſtruis, per acres calidas medicationes malè tractatis,) vehementes *ſpaſtico-arthriticos* dolores perpeſſa, & in illis exoptatum effectum *nitratorum* remediorum experta, (inſuper etiam *hæreditariâ* diſpoſitione, à *patre*, & *avo, podagricis*, conſpicua) iterum eadem, cum exquiſitis doloribus, ſpaſtica pathemata ſentiens, nominatim petitum hunc pulverem, tanquam proprio auſu uſurpavit; In cujus ternis doſibus per diem, conjunctim, ad ʒß. *nitri* inerat. Cumque videretur ſibi hinc perſentiſcere ſenſibile ſolamen, repetebat ejus uſum non tantum ſecundo, ſed etiam tertio, die. Cum autem ſub finem hujus, *ſtigmata* emicarent, *Variolarum* rudimenta; poſtea quidem à continuatione hujus pulveris abſtinuit, interim totis *quatuordecim diebus*, *apertionem alvi* nullam ſenſit: procedentibus tantiſper, & ad *exitum* optatum pertingentibus, toto & juſtiſſimo, & tranquilliſſimo, decurſu, univerſis *Variolis*: Tunc autem etiam ſpontè *revertente* alvi reſeratione naturali. Tantum abeſt, ut *nitrum* hic aliquid incommodi, alvum *turbando*, intuliſſet. conf. allegat. Schediasm. de *efficaciâ nitri, irritatæ* alvi mitigatoriâ, etiam in aliis talibus caſibus, & imprimis quidem *choleroideis*.

§. LXXXIII.

Breviter monendum adhuc aliquid occurrit, de *foveis*, ab eroſione *Variolarum* reſtare ſolitis. His præoccupandis, ſolet, anxium de forma & nitore mulierum genus, varia tentamina deſtinare. Nos illud monendum duximus, ut potiùs

tiùs nihil hic temerè tentetur, ne periculum poſtliminiò reverſuræ *translationis ad interiora* hinc ingruat. Si *ruptis jam* papulis aliquid adhibere, ſedeat animo, quod leniſſimam conſolidationem juvaret, minimum autem periculi minari poſſit, erit hoc *ol. ovorum*, leviſſimè *camphoratum*.

§. LXXXIV.

Breviſſimè autem omnium hoc dicimus: medicamenta, quæ *præoccupandis* malis accidentibus Variolarum ſatis eſſe poſſunt, nominamus, *Lap. Canc.*, *Matr. perlar.*, imò *Conch. noſtr.* præpar.: modeſtum uſum boni *antim. diaph. Eſſ. Scord.* opt., & Eſſ. *Rad. Pimp. alb.* (quæ poſterior imprimis *faucium* vitiis ſuccurrit, ſi aliquot ejus guttæ *ſine vehiculo* deglutiantur, bis, ter per diem.) Hæc, cum prudentiſſimo *regimine*, etiam difficilibus rebus, opitulari ſatis valent: Re vera verò, ubi etiam hæc non ſufficiunt, vix quicquam aliud prævalebit, niſi per planè *heteroclitos* ſucceſſus, Natura potiùs ipſa vim faciat, & inde ad ſe revertatur.

§. LXXXV.

Hæc quidem ita ſufficere poterunt, de *methodo* ad *Curationem* pertinente, ſeu juſta *curâ* gerenda, *Variolarum* atque *morbillorum*, *præſentium*. Cum autem humanum ingenium non ſolum *curioſitatis* valdè ſit appetens; ſed planiùs eloquendo, imprimis *negata cupiat*, injicit propterea hinc inde quæſtionem illam, *an non*, & *quatenus*, *præſervationi à Variolis pateat locus*? Tantum autem abeſt, ut quicquam hic diſſimulemus, ut potiùs diſertè eloqui & indicare hoc malimus, quod maxima pars plebis, & ferè prudentiores matres familiâs, hanc quæſtionem non facilè ampliùs foveant, nedum moveant, ſed prudentius inſiſtant ſimpliciſſimæ illi obſervationi univerſalis experientiæ, quod cœpta hujusmodi, evidentisſimè *inania* ſint. Quod imprimis ex eo concludunt ſimpliciores, quod *ſublimium* quarumvis dignitatum familias, nunquam ab hoc eventu exemptos deprehendi con-

tin-

tingat; Unde vel Catoni riſum elicuerint, argumentatione illâ ſuâ: Wann es wahr wåre / daß hievor ein ſicher und geswiſſes Mittel in der Welt wåre / es håtte ſich vorlångſt / oder doch zu dieſer Zeit / da die Kůnſte auf das hőchſte geſtiegen ſeyn ſollen / gefunden und ausgewieſen / daß Vornehmer / Reicher / und Hohen Standes-Perſohnen / Kinder / dadurch verwahret worden wåren / die es gerne / und aufs reichlichſte / bezahlet haben wůrden. Cum autem horum nihil factum ſit, à fide ſua etiam alienum profitentur, quod fieri posſit. *Simplex eſt oratio veritatis*, ait Philoſophus: Et nos hîc meritò iudicamus.

§. LXXXVI.

Enim verò, de verè *contagioſis* morbis, *in genere*, valet illud, quod omnis alia cautio, præter *longinquam abſentiam*, ita ſummè incerta exiſtat, ut nullum argumentum firmum relinquatur, quod ſatis probabile eſſe posſit, ad perſvadendum, quod non verè *irrita* potiùs ſint omnia, quàm ſolum *infida*, ac *incerta*. Jam, cum *Variolæ* & *morbilli*, illud inſuper penitùs peculiare habeant, ut certius, quam ullus alius *contagioſus* affectus, omnibus & ſingulis hominibus, impendeant æque, ac *ſemel* rectè perfunctis, poſt hac non ampliùs metuendæ ſint: Quorum *neutrum* de ulla alia *contagioſorum* affectuum ſpecie, pariter dici poteſt: Eſt certè hinc non injuſta ſuſpicio, quod adhuc minùs his, aut profectò non magis, quam ullis aliis, *contagioſis* morbis *acutis*, ullum verè *præſervativum* remedium inveniatur.

LXXXVII.

Imo, ſumus potius in ea ſententia, quam etiam jam alibi profeſſus eſt D. D. Præſes, quod, quibus morbis talem indolem indiderit Divina clementia, ut *methodo*, *rationi* conformi, rectè ſubigi, & in ordinem reduci, posſint; illis *ſpecifica* talia remedia, quorum ope, ceu *ſimul* & *ſemel*, *directè*, & *ſimpliciter* velut exſtingvi poſſint, data aut conceſſa

non

non eſſe. Quam nempè ſententiam, cum experientia à poſteriori, quàm maximè ſtabiliat, (conſtantiſſimè nimirum confirmans; quod nusquam quicquam in contrarium allegari promerens, adhuc innotuerit:) Manet certè propterea hæc nobis inconcuſſa.

§. LXXXVIII.

Sicut autem ab ipſis his affectibus, æque, ac aliis verè *contagioſis* acutis, *veram* aliquam atque *fidam præſervationem* dari, bono jure negamus; minimè tamen paria ſentimus de illa circumſtantia, quàm ad *praxin* præcipuum momentum habere, ſuprà quàm maximè commendavimus. Loquor de *accidentalibus* illis circumſtantiis, quæ in *deterius* convertere, ſucceſſum alicujus talis morbi, è ſuâ *propriâ* indole ſatis ordinatum & tranquillum, quàm maximè valent. Harum rerum ita *præſervativè* compotem eſſe artem ac induſtriam, interpretamur, ut easdem ſic ſatis tempeſtivè *præoccupare* valeat. Nempè, conſtitutionem verè ſenſibiliter *plethoricam*. Quam certè nimiò magis præſtiterit, ſub conſtitutione reliqua adhuc ſanâ præoccupaſſe, quàm admiſſo jam morbo, demum aggredi. Idem valet de *alvi ſordibus*; aut legitimâ *diæta* prorſus præcavendis, aut etiam, ſi quæ præſtò eſſe ſentiantur, *maturè* expurgandis: Par ratio eſt *conſpirabilitatis* corporis, antè morbum omni meliore, placido tamen imprimis, modo, requirendæ.

§. LXXXIX.

Quibus autem *pectus* aliqua labe laborat, illi habent omni modo præ aliis, quod metuant. Jubemus autem quàm maximè cavere, à *variis* artificiis; contentos autem eſſe volumus, ſicuti re verà ſemper amica eſt pectori, ita in hoc etiam caſu, *radiculâ* illâ, ſæpius à nobis celebrata, noſtrate, *pimpinel. umbellif. alb.* Cui ſi dextrè ſubordinare ſcias *Cort. Chacaril.*, ut aliàs in *pleuriticis*, ita etiam in his caſibus, certum operæ pretium fiet. Optimè tamen omnium, ſi pariter potiùs

verè

verè *præſervativè*, antequam morbus occupet, hæc adminiſtrantur. Aliàs etiam hac occaſione monere placet, quod in *fluxu alvi*, per imprudenter datum *purgans* concitato, iterum *conſopito*, ſed *recrudeſcente*, unà cum vehemente *pectoris oppletione & anguſtia aſthmatica*, patienti, puero 10. annorum, etiam aliàs ſummè moleſtâ, nominati hujus *corticis* uſus, omninò eximiè ſeſe geſſerit, quamvis paucis doſibus, (ſingulis ad pondus ſcrup. ß.) intra tres dies eruptionis procedentis.

§. XC.

Iterum autem dicimus, quod faciliùs in quibuslibet aliis *contagioſis acutis* morbis, fiduciam aliquam collocare audeamus in pharmaceutica *præſervatione*, quàm in *Variolis* & *morbillis*. Loquimur autem de *directâ* atque *ſtrictè* dicta, quæ aditum prorſus deneget efficaciæ *corruptivæ* contagii: Plus autem undique tribuimus effectui *diapnoico* generaliori, cum omnium contagioſorum, & ipſius utique *peſtis*, ſalutaris exitus, unicè tendat *ad & per peripheriam* corporis; & quidem nullo usquam *præcipiti* ac *impetuoſo*, ſimul & ſemel *copioſo*, raptu aut impulſu: Sed unicè *modeſtâ, circumſpectâ* quaſi, *ordinatâ*, *aſſidua*, imò plus minus *diuturnâ*, *æquali*, exhalatione. Unde quicquid vel aditum, vel exitum ad hanc *excretionem* intervertit, evitare omninò convenit.

§. XCI.

Sicut autem & aliàs ab intempeſtivis officiis Medicis alieni ſumus, ita non poſſumus hoc loco tacere, quod etiam *intentionem* præſervandi, imprimis in *teneriore* ætate, quantum in nobis eſt, *diſſuadeamus*. Cum enim *tria* ſubſint argumenta, ſatis ponderoſa, nempè *primò*, quod nemo, quamdiu etiam vivat, *immunis* eſſe poſſit, quin ſemel hunc morbum experiri metuat: *ſecundò*, *tenerior* ætas ordinariè minùs periclitetur, & faciliùs ſuperet: *tertiò*, adulta è contra, omnibus modis *majus periculum* hinc adeat; Longè certè

conſultius arbitramur, in *juventute* huic malo, ſub fiduciâ juſtâ, animum ſubmittere; quàm tota ſua vitâ metus hujus mortis ſervum eſſe. Ubi, præter alia in dies nota funeſta exempla, etiam ego Præſes, non ſine luctu, reminiſcor, quod in unâ domo Illuſtriſſima Marchionum Brandenburgo-Onolsbacenſium, quatuor hujusmodi funeſta exempla obrigerint; Ubi Seren. ALBERTUS, jam aliquot ſupra *quadraginta* annos natus; Seren. JOHANNES FRIDERICUS, filius & ſucceſſor Ejus, quadrageſimo propinquus: Sereniſſ. ALBERT. ERNESTUS, hujus Frater, 18. annorum; nec non Seren. PRINCEPS hæres, pari jam ætate: primus quidem *morbillis*, reliqui ſinguli *Variolis*, cum maximo Domûs & ſubditorum luctu, deceſſerunt. Quo certè intuitu, longè conſultius ducimus, potiùs propitiis fatis, adhuc teneriore ætate, liberos permittere; quam nimium diffidente & anxiâ ſollicitudine, perpetuum metum velut invitare atque fovere, imò certiorem gravioris eventus timorem hoc ipſo, tanquam malo fœnore, experiri.

§. XCII.

Ita quidem nihil aliud moneri poſſe arbitramur, niſi fortè, quod *duo accidentia* ſilentio prætermiſerimus, quæ his affectibus, ſi non familiaria, certè tamen neque ita omninò rara & inuſitata, ſunt. Primum eſt, *hæmorrhagia* narium *larga*, circà, aut ſub ipſam eruptionem exanthematum, communiter oboriens. *Alterum*, eſt exortus *puſtulæ* alicujus in ipſo *oculo*; imò non ita rariſſimè propriè & velut exquiſitè, ſuper ipſa tunicâ *corneâ*. Sicut autem hæc *accidentia*, nec ad hos affectus *directè* pertinent, ſeu ſcholarum ſtylo de *eſſentialiter* ſive *inhærentium* ſive *conſequentium* cenſu ſunt, adeoque etiam nulla injuria à nobis prætermitti poſſent; præterea etiam nulla æque *directâ* medicatione corrigi, ſive, ut ajunt, emendari valent: Ita cum tamen *cautioni* ſvadendæ occaſionem præbeant, trademus hanc etiam, paucis tamen atque breviter. *Abundantiam* ſangvinis

gvinis, omnibus *ordinatis* excretionibus *febrilibus* perturbandis idoneam eſſe, ſciunt, qui vel obiter harum rerum hiſtoriam atque genium intelligunt. Nominatim autem, poſſunt negotium faceſſere ſummi periculi plenum, *capiti*, quando humores ſeu *maſſa ſangvinea*, ita ad caput reſtricta, unâ majorem copiam inquinamentorum *malignorum* eo convehit, quin etiam ibidem diu detinendo, majoribus læſionibus anſam præbet; quàm ſub ordinato æquali circuitu non eveniret. Confer. etiam Diſſ. *de Acriſia*. Interim, cùm huic intentioni, abundantis ſangvinis excuſſionem machinanti, ſi non jam ſpontè moliatur, *occaſio*: Aut ſi illud jam faciat, *ſtimulus* & *impetus* major, certiſſimè detur duobus modis, *primò*, per *turgefactoriam* commotionem ſangvinis, *ſecundò* per *tranſlatoriam* reſtrictionem ejusdem, ab inferioribus verſus *ſuperiorem* regionem: Eſt proinde illud, quod in hoc caſu præcipuum uſum habeat, duplex conſilium atque regimen: *Primò*, ut ab omni nimiâ concalefactoriâ *exagitatione* ſangvinis, ad ipſum usque *regimen* juſtò calidiùs, abſtineatur; *ſecundò*, omnis ſenſibilis *horridula* refrigeratio, crurum atque pedum, curioſiùs arceatur, utpotè unde alioquin reſtrictio ad ſuperiora tantò certius exſpectanda venit. Cœterum, nec ipſa etiam *hæmorrhagia* in his affectib9, *anxiè* formidanda, & propterea fortè *ambigui* reliqui *effectus medicationibus* coërcenda venit: Cum etiam ſatis *largus* hujusmodi fluxus, ſi modò *exacerbationis* incitamenta abſint, innumeris exemplis nihil ſenſilis damni poſt ſe trahat: *Cohibitiones* autem effluxus, & certiſſimè quidem *prœmaturæ*, affluxu & contentione ad effluendum non ſublatis, certiſſimorum ſiniſtrorum eventuum fundamentum præbeant. *Oculorum* autem hujusmodi pericula, nullâ re certiùs præoccupari deprehendimus, quam ſi lintea, *Sp. Vin. Camphorato-crocato* largiter imbuta, (ſed quoad propemodum *ſicca* ſentiantur, ſepoſita, tunc demum) oculis ſuperponantur. Ubi tamen etiam interceptio *fulgidæ* lucis oculos percellentis; cautio à *ploratu*; abſtinentia à *frictione* oculo-

 rum

rum, eximium ſibi locum vendicant. Cœterum, à quibuslibet importunis *artificiis* abſtinere certò ſecurius eſt, quàm iiſdem indulgere; utpote quæ non ſolùm nullum uſum, ſed & longè certiùs damnum afferant. Habemus autem non contemnendas rationes, quamobrem ſuprà laudatum uſum nudæ *Eſſ. Pimp.*, intra *os* ſumptæ, ad utilem *diſſipatoriam* præoccupationem, *ſtagnationum* circà caput in his affectibus, etiam ad hanc præſervationem, laudemus. *Conglutinatio* verò palpebrarum, ſecuriſſimè reſeratur, moderatiſſimo uſu *olei ovor.*, leviter camphorati. Tandem, inter hæc *accidentalia* præcavenda, ne turbæ fomitem inveniant, connumerari quoque merentur *vermes*: Ad quos proinde, rebus adhuc ſalvis, *maturè* reſpicere, minimè inutile fuerit.

XCIII.

Obſignamus autem hanc Tractationem illo monito, quod de univerſis *periculoſis, contagioſis*, ante omnia verò manifeſtiorem aliquam *excretionem* ſectantibus, *febrilibus*, affectibus valet; Cautelâ, inquam, ne quantumcunque tranquillis iterum rebus, immediatè à ſuperato periculo, nimiæ *ſecuritati* indulgeant patientes, circa intemperantem uſum, *turbulenti*, aut *frigidi* aëris, aut ſine diſcrimine quorumlibet *ciborum & potuum*. Conducit hic *regimen* circumſpectum: ex artificialibus autem etiam ſupra laudata *Eſſ. Scord. & Pimp.* imò hæc ſola: utpote quæ etiam ſenſibiliores *reliquias* malè moratas *variolarum*, *continuato proportionato* uſu, egregiè velut abſumit & conſummat.

Ita verò tandem ſperamus ſatisfeciſſe ſuſcepto noſtro muneri, & quæ ad veram Medicam horum affectuum conſiderationem atque tractationem pertinent, abſolviſſe. Quapropter debitas gratias DEO T. O. M. pro præſtito nobis ſancto ſuo præſidio & auxilio, humillimè nuncupamus.

S. D. G.

NOBILISSIMO

DN. CANDIDATO

PRÆSES

Omnia Felicia!

PErperam uti mortales Dignitate, non antiqua ſolùm jam eſt querela, ſed neque certè unquam adhuc antiquata, verum undique potiùs reſonans, & è vulgi usque hominum ore, paſſim audienda. Equidem communis propemodum uſus obtinuit, ut vario ſenſu hæc locutio adhibeatur. Quam maximè vulgata eſt illa acceptio, qua de honoribus ipſis, Dignitatis nomen uſurpatur: Unde & vernacula noſtra rarius propemodum illo utitur; ſed hoc ferè in triviis tantum: dum ex adverſo cultiores etiam ornatiori ſtylo, der Würde vocem intexere audias: Latini verò ſermonis promachos, promiſcuè Honorum atque Dignitatum vocabulis uti, facilè obſerves. Malè profectò, ſi rei veritatem ſpectes. Non quod illud agere in animum inducam, ut hominibus memoriæ ſoli addictis, judicium ſuadeam; (nempè, non, quo uſu priſci locutores hoc vocabulum celebra-

verint, ſed quid certò atque propriè deſignet, recordari, & uſu magis exquiſito diſcernere;) Sed ut rerum temerariam confuſionem, prudentiori penſitationi commendem. Sicut enim illi, inurbana ſuâ Dictaturâ, cenſuras bis pueriles intentaturi eſſent, ſi Dignationis vocem ibi adhibendam arbitrarer, ubi illi Dignitatis, per omnes antiquos Codices, tuentur: Ita ſubeſt tamen longè verior, & nimiò juſtior, illius actus diſcretio, quam hujus habitus falſa & inanis aſſignatio. Aurea certè eſt illa Quintiliani prophetia: Nunquam hoc malis moribus eveniet regnum, ut quæ ſpecioſa fecerunt, eadem faciant & bona. Dignari nempè honoribus, poſſunt mortales, & puto ſolent! quantumcunque etiam indignos: Sed ut vero ſenſu Digni illis ſint, quàm planè impotes ſint, ut efficiant, cum faſtidio, imò indignatione tacitè ſollicitâ, indies experiuntur. Tantò magis, ubi deinde ob oculos quotidiè habent, quomodò indigni tales, nusquam illam animo complectantur modeſtiam, quàm pulchrè præcinit Poëta ---Haud equidem tali me dignor honore: Sed, quod totâ ſuâ vitâ evertunt, verbis atque provocationibus, mordicùs defendant, collatam ſibi DIGNITATEM. Merito quidem indignatur talibus, atque dedignatur

tur talia, omnis ætas, & exemplis docetur: Non qui occupavit, ſed qui dignus (verè) eſt, honorem poſſidere. Ubi verò parem Dignitati honorem, contingit inveniri, illi demum meritò, ſincera atque juſta gratulatio exhibetur. Tu es, Nobiliſſime CANDITATE, qui harum rerum mihi refricas memoriam. Qui non intempeſtivos, aut à meritis Tuis alienos, honores, anhelare, animum induxiſti; Sed dignum Te prius illis efficere, & maturos tandem expectare, maluiſti. Teſtis Tibi eſt Illuſtris Regiomontana Academia, quam antè aliquot jam annos, gnaviſſimæ induſtriæ aſſiduitate Tibi conciliaſti. Teſtis eſt Regia noſtra FRIDERICIANA, quæ mores Tuos, probos, cultos, & modeſtos, jugi plus trium annorum decurſu, comprobavit: Teſtis Ordo noſter, cui Te indefeſſo ſtudio, ſolertiſſimâ diligentiâ, ingenuâ gratitudine, genuinum civem exhibuiſti. Teſtis, comes indiviſus, egregiæ Scientiæ atque ſolidæ eruditionis penu, quo & Tibi conſuluiſti, & proximi uſibus, veriſque officiis ſocietatis, gnaviter proſpexiſti. Dignus ita certè es factus, cui honores conferantur, quos talibus meritis, bona & benigna Supremarum mundi Poteſtatum munificentia, deſtinare ſuevit. Gaudeo quod mihi

ipſi

ipſi illa obtigerit occaſio, ad illos Te non ſolùm producendi ſed etiam admittendi. Gratulor ex animo,& pares meritis ſucceſſus atque fructus, ſincerè apprecor. Quod ne fruſtrà faciam, ut olim jam caviſti, ita porrò quin evitaturus ſis, nullus ambigo. Fiet hoc, ſi Divinam gratiam, opem, benedictionem, Tuis auſibus & laboribus perpetuam præſidem advocare atque exorare nunquam obliviſcaris. Fac ita, vives uti ominor, Felix. Vale. Dab. Halis è Muſæo, Id. Novembr. MDCCIX.